Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justin Ferdinand Hamm

De Statvtorvm Collisione Et Praeferentia In Cavssis Svccessionvm Ab Intestato

Erlangae: Apvd Ioa. Iac. Palm, MDCCXCII

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863209785

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0001

K. K — 3 (27.)

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0002

DE

STATVTORVM COLLISIONE

ET PRAEFERENTIA

IN CAVSSIS SVCCESSIONVM

AB INTESTATO

AVCTORE

IVSTINO FERDINANDO HAMM

REG. REGIM. BARVTH. ADV



ERLANGAE

APVD IOA. IAC. PALM. CIↃ IↃ CC XCII.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0005

Ex libris
Ferd. Kæmmerer, Dr.



http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0006

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

S. R. I. LIB. BARONI

DE HARDENBERG

POTENTISSIMI AC AVGVSTISSIMI PORVSSORVM
REGIS
MARGGRAVII BRANDENBVRGICI
SANCTIORIS ADMISSIONIS ET INTIMO STATVS
ET REI MILITARIS MINISTRO
VTRIVSQVE BVRGGRAVIATVS PRINCIPATVS
ADMINISTRATORI PRINCIPALI
SVMMA AVCTORITATE CONSPICVO
ILLVSTR. RENOV. BRANDENB. RVBRAE AQVIL
AEQVE AC REGIO-POLON. ALBAE AQVIL
ET STANISL. ORDINIS EQVITI
CELSISS. REL

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

EVERGETAE ET LITTERARVM
AMICO

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0007

SVPREMAM PATRIAE QVAE TANTO ONERI
PAREM AMAT VIRVM ET AMPLECTITVR
ADMINISTRATIONEM FAVSTISSIMAM GLORIO-
SISSIMAM LONGISSIMAM OMNIGENAMQVE
SPLENDIDIDISSIMAE DOMVS
FELICITATEM ARDENTISSIME PRECATVS
QVALECVNQVE HOC LVCVBRATVM OPVSCVLVM EXIGVVM
LEVIDENSE QVIDEM
SVBMISSI TAMEN ANIMI INGENVIQVE PECTORIS
FIDISSIMVM INTERPRETEM
OMNI MENTIS RELIGIONE ET OBSERVANTIA
SACRVM FACIT

TANTO VIRO

SE FORTVNAMVE SVAM HVMILLIME
COMMENDANS

CVLTOR DEVOTISSIMVS ET ADDICTISSIMVS
CLIENS
IVSTINVS FERDINANDVS HAMM.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0008

LECTORIBVS S.

Cum Viris illustribus, Doctoribus in aeternum mihi pie colendis, quorum scholas adii, Themidis in Alma Friderico-Alexandrina delubra colens, gratissimum ostendere animum et benignitatis memoriam exstare volui, cum sera gratiarum actio, nulla negligentia praetermissa, reprehendi non soleat, tarditatem meam reprehensionem vbique effugere posse facile mihi persuadens, tum et iis, quorum me frustra tempus non impendisse interest, qualemcunque his pagellis rationem studiorum reddere instituí. Verum enim vero in campum descendere mihi videor, in quo Iureconsulti celeberrimi iam suarum virium periculum fecerunt, atque ideo me arma quoque mea mouere, tenuesue vires fortibuscum comparare ausum, nil gloriae deportaturum sane praevideo. Sicuti enim haud facile quoddam iuris thema reperies, in quo non iam vnus et alter enucleando vir desudarit doctissimus, ita quoque hanc quam proponam controversiam, adeo viri eruditi perpoliuerunt, vt parum addere possis. Igitur doctorum hominum quasi senatum, qui de ista sunt argumentati, conuocasse, eorumue multas, discrepantes etiam sententias collegisse, e firmo quodam, quod iuris ratio exstruxit, castro prodire, et accuratiore diuersarum habita opinionum comparatione, quae ex illis alenda sit, quid iuuet eandem, quid oppugnet, dispicere conatum, inprimis

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0009

autem de ſingulis ſtatutorum colliſionis circa ſucceſſionem ab inteſtato ſpeciebus, quum qui de his, in decidenda commoratus lite, dedita expoſuerit opera, haud aliquem nouerim, meum quaedam tradidiſſe tantum erit. Ac plerumque quoniam euenire ſoleat, ut potius homines iudicent odio aut amore, aut ſpe, aut errore, quam veritatis aut iuris norma, eorum, quibus hoc munus, hae partes datae ſunt, vt ſapientia, conſilio et legibus rempublicam iuuent, doctrinae, quam in hoc libello maiore quadam iudicii egeſtate contra communem aliorum defenſam, probabiliorem et aequiorem exiſtimo, amorem quaſi et amicitiam conciliare propoſui. Melius enim ſe opinio habet, quum quod alii auctoritate efficere ſtudent, id iure in illa tentatur; ὅτι, ait Plutarchus, τȣς νομȣς των ἀνδρων, ȣ̓ τȣς ἀνδρας νομων κυριȣς ἐιναι δει *).

Si verum eruditiſſimis Vobis hominibus ars mea indotata viſa et incomta fuerit, me non tanquam magiſtrum et artificem, ſed quaſi rudem minoremue in iure, non vt ingeniolum oſtentem, ſed pro eorum more, qui ad certos effectus ſummos in iure honores et privilegia aſpirant, haec qualiacunque in lucem produxiſſe cogitetis velim. Parciendum igitur huic infirmitati, vt forte majores conatus excitentur. Et quo plus poteſtis, ut Tribuni Valerii apud Liuium rogatione vtar, eo moderatius imperio vti debetis. Dabam ipſis Kal. Mart. cIↃ IↃ CC XCII.

*) v. Lacon. Apophtegm. pag. 230.

CON-

CONSPECTVS.

pag.

§. I. *Frequens Doctorum senatus ad quaestionem propositam. Instituti ratio.* 1

CAPVT PRIMVM

GENERALIA QVAEDAM PRAEMITTENS.

- II. *Statuti notio traditur.* 9
- III. *De Collisione statutorum in genere.* 10
- IV. *Statuendi potestatis ratio enucleatur, ac refelluntur, qui illam iurisdictionis limitibus includunt.* 17
- V. *Vulgatae origines opinionis indagantur.* 22

CAPVT SECVNDVM.

DOMICILII SEV LEGES POTIVS QVIBVS IS IN CVIVS BONIS SVCCESSIO DEBET ORDINARI SVBIECTVS FVIT OBSERVANDAS ESSE DEMONSTRATVR ET ADVERSARIORVM ARGVMENTA EXAMINANTVR ET REFELLVNTVR.

- VI. *Argumentandi modi constituuntur.* 31

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0011

pag.

§. VII. *Num iuris naturae et gentium principia defendendae respondeant opinioni colligitur.* 33

§. VIII. *Ius romanum consulitur, et bonorum considerationem in definiendo successionis ordine nullam esse ostenditur.* 39

§. IX. *Ius hereditarium e defuncti iure et persona, siue domicilii legibus aestimandum esse demonstratur.* 45

§. X. *Argumentum aliud in litium prolixitatem odium suppeditat.* 49

§. XI. *Vtrum statuta, dum de succedendi ordine disponunt, inter realia an personalia siue mixtu habenda sint? disquiritur. Expenduntur clariss.* Hofackeri *definitiones.* 53

§. XII. *Continuatur, et* Riccii *trutinatis notionibus, certiora de statutis personalibus et realibus quoad causſam nostram indicia exhibentur.* 59

§. XIII. *Diluuntur e iure romano petitae obiectiones et primum iis, qui actiones reales in foro rei sitae solummodo tractandas esse, contendunt.* 67

§. XIV. *Continuatur dubiorum elenchus.* 73

§. XV. *Respondetur iis, qui alias fouent opiniones. Secundum qnasnam leges aestumanda sit legitima portio? deciditur.* 79

CAPVT

pag.

CAPVT TERTIVM

OBSERVATIONES QVASDAM AD SINGVLARES QVAE HIC COGITARI POSSVNT COLLISIONIS SPECIES STATVTORVM CIRCA SVCCESSIONEM AB INTESTATO EXHIBENS.

§. XVI. CASVS PRIMVS: *Secundum quaenam iura succedatur exemtae personae disquiritur, eiusdemue famulitio?* 85

- XVII. CASVS SECVNDVS: *Secundum quaenam iura succedatur eo, qui duobus vel pluribus in locis domicilium constituerat? diiudicatur.* 94

- XVIII. CASVS TERTIVS: *De statutorum collisione circa successionem in bonis vagabundi agitur.* 96

- XIX. CASVS QVARTVS: *De collisione statutorum circa coniugum successionem duplex quaestio excitatur.* 100

- XX. *Primae quaestionis discussio.* 101

- XXI. *Altera proponitur quaestio.* 108

- XXII. CASVS QVINTVS: *De plurium fiscorum collisione differitur, et* CARPZOVII *et* BOEHMERI *de fisci successione in bonis clericorum dissensus notatur.* 112

pag.

§. XXIII. Casvs sextvs: *De statutorum circa ius hereditarium in peregrinorum bonis definiendum contentione agitur, et iuris retorsionis in doctrina nostra principia quaedam traduntur.* 121

DE

DE

STATVTORVM COLLISIONE ET PRAEFERENTIA IN CAVSIS SVCCESSIONVM AB INTESTATO.

§. I.

Frequens Doctorum ſenatus ad quaeſtionem propoſitam. Inſtituti ratio.

IAM ſatis omnium conſtat, ab inteſtato ſucceſſionem admodum vbique locorum, maxime verum in Germania, variis regi iuribus indeque interpretum multas atque diuerſas opiniones, a vera iuris ducentes ratione, cauſſam praebere haud modicae litium prolixitati. Saepiſſime enim iura, quae circa ſucceſſionem in domicilii loco defuncti obtinent, a iuribus rei ſitae diſcrepant iudicii ac frequens inde mouetur quaeſtio: ſecundum quaenam in colliſione adeunda ſit hereditas?

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0015

Est antiqua sane, Glossatoribus iam residens et Pragmaticorum, qui super hac re dederunt decisiones suas, inter mobilia et immobilia communis ac vulgaris distinctio conueniuntque inter se fere omnes, successionem in illis aestumandam secundum domicilii statuta: ex quibus *Joann. à* SANDE [a], *Benedict.* CARPZOVIVM [b], *Jo. Balth.* WERNHERVM [c], *Sam.* STRYCKIVM [d], *Dau.* MEVIVM [e], *Jo. Nicol.* HERTIVM [f], *Casp. Henr.* HORNIVM [g], *Jo. Henr.* BERGERVM [h], et *Jo. Theoph.* SEGERVM [i], nominasse sufficiat. In immobilibus verum iuribus loci solummodo, vbi sita reperiuntur alii iique plurimi succedendi normam tribuunt. Quam opinionem iam olim tenuerunt vetustiorum iuris interpretum nonnulli, qui princ. *L. C. de summa Trinitate* commentariis suis inundarunt, quo-

a) *Decis. Frisicarum Lib. IV. Tit. VIII. Def. 7.*

b) *Iurisprud. ecclesiast. Par. II. Const. 12. Def. 54. Dec. illustr. Saxonic. Dec. I. n. 3. sq. Responsa iuris electoral. Lib. IV. Resp. 38. 42. n. 13. Iurispr. forens. Par. II. Const. 14. Def. 54. n. 6.*

c) *Obseruat. select. Tom. I. Part. III. obs. 237. P. IV. obs. 142.*

d) *Tr. de successione ab intest. Diss. I. Cap. 4. §. 3.*

e) *Decision. Part. II. Dec. C. et CLXIV.*

f) *Responsa et Consil. Resp. CCLX. 3. CCCXXIII. 1. et CCCXXVIIII. 9.*

g) *Consultat. et Responsa Class. V. 12. pag. 282. a.*

h) *Responsa Part. I. Resp. CCCXLIII.*

i) *Diss. de vi legum et decretorum in territorio alieno. Lipsiae 1777. §. VIII.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0016

quorum partes tunc secuti: *Jo.* MYNSINGER [k], *Andr.* GAIL [l], *Nicol.* BVRGVNDVS [m], *Paul.* CHRISTINAEVS [n], *Jo.* VOET [o], *Jo.* KOEPPEN [p], *Ulr.* HVBER [q], *Christ. Phil.* RICHTER [r], *Matth.* COLER [s], *Wolfg. Adam.* LAVTERBACH [t], *Christ. Gottl.* RICCIVS [u], etiam dicti CARPZOV [v], WERNHER [w], MEVIVS

k) in *singul. obseruationum iudic. imper. Camerae. Cent. V. obs. 19.*

l) in *Obseruat. Lib. II. obs. CXXIV.*

m) in *Tr. Controuersiarum ad Consuetudines Flandriae (Arnhemiae 1670. 12.) Tr. I. n. 36.*

n) in *Decisionum cura Tob. Jac.* REINHARTHII *edit. Vol. II. Dec. 3. n. 1. confer.* REINHARTH ad *Christinaeum. Vol. V. Dec. IV. obs. 13.*

o) in *Comment. ad Digesta. Tit. I. de Constitut. princ. Part. II. de statutis. §. XXXV.*

p) in *Decis. XXXI. n. 1.*

q) in *Praelect. iuris ciuilis. Tit. Digest. de Leg. Sctis. de conflictu legum §. vlt. in F.*

r) in *Prooem. n. XXXV. ad Tr. de successione ab intestato.*

s) in *Tr. de processibus executiuis Part. I. Cap. III. n. 129. sq. n. 239. et 240.*

t) in *Colleg. theoret. pract. Pand. Tit. de succes. iur. nouiss. §. 54.*

u) in *zuverläßigen Entwurf von Stadtgesetzen. pag. 550. sq.*

v) in *Iur. for. Part. III. Const. 12. Def. 12. Lib. VI. Resp. 39.*

w) *Tom. I. Part. III. obs. 237. n. 2. Tom. II. Part. VI. obs. 288. n. 1. et 6.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0017

VIVS x), STRYCK y), BERGER z), HORN a), nec non Viri illustriss. quibus a potentissimo Borussiae Rege legum scribendarum munus est oblatum, eadem fouere videntur principia b). At repudiarunt communiter hanc adoptatam ac receptam in foris sententiam, quaeuis bona, siue sint mobilia, siue moueri nequeant, siue incorporalia, i. e. actiones, iura &c. siue corporalia, secundum statuta loci, vbi degit defunctus, heredibus offerentes magni nominis Doctores: *Jac.* CVJACIVS c), *Jac.* CVRTIVS

x) ad *ius Lubecense. Quaest. praelim. 6. n. 10. sq. et Part. II. Dec. XCIX.*

y) *de succeff. ab inteft. Diff. I. Cap. IV. §. 2.*

z) in *Oeconom. Iuris. Lib. II. Tit. IV. §. 46. n. 6.*

a) *Conſil. et reſp. Claſſ. V. n. 12. 4. pag. 281. b. VIII. 32. pag. 510. a. VIII. 35. pag. 515. a. et VIII. 36. pag. 517. a.*

b) Secundum deciſſionem, quae legitur in clariſſ. *Ern. Ferdin.* KLEINII *Annalen der Geſetzgebung und Rechtsgelehrſamkeit in den preuſſiſchen Staaten. I. Band. pag. 64 — 70. (Berlin u. Stettin. 1788.)* his verbis expreſſa: *Auf die Frage: nach welches Orts Geſetzen der Pflichttheil zu berechnen ſey, wenn das Teſtament des Erblaſſers auſſer ſeinem letzten Wohnorte errichtet worden und deſſen Nachlaſs ſich in verſchiedenen Orten befindet, iſt von der Geſetzkommiſſion dahin concludirt: daſs die Legitima nicht nach den Geſetzen des Orts, wo die Verſtorbene das Teſtament errichtet, ſondern in Anſehung des Immobiliarnachlaſſes nach den Geſetzen des Orts, wo dieſer Immobiliarnachlaſs belegen; und in Anſehung des Mobiliarnachlaſſes nach den Geſetzen des Orts, wo die Verſtorbene zur Zeit ihres Ablebens ihr Domicilium gehabt, zu beſtimmen und feſtzuſetzen ſey.*

c) in *Conſult. XXV.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0018

TIVS d), HERTIVS e), *Henr.* NETTELBLADT f), *Reinh.* BACHOV g), *Godofr. Ludou.* MENKEN h), *Frider. Esa. de* PVFENDORF i), *Car. Christ.* HOFACKER k), *Jo. Christ.* KOCH l), *Ern. Christ.* WESTPHAL m), *Jo. Aug.* HELLFELD n). Adsunt alii, qui successionis legem fori rei sitae ad quaecunque bona, siue moueri queant, nec ne, extendendam esse statuunt; vti

 sibi

d) in εικαζων *s. Coniecturalium iur. ciu. Lib. I. Cap. 4.* in OTTONIS *Thes. Vol. V. pag. 102. sq.*

e) Praesertim eo in casu haeresi huic inhaerens, quo lex alicuius regionis mutuam inter coniuges successionem statuat, in *Diss. de Collisione legum. (Giessae 1689.) Sect. IV. §. 9. et 40.* in EIVSDEM *Comment. et Opuscul.* cura *Jac. Car.* HOMBERGKII *edit. (Francof. 1737.) editio II. Vol. I.*

f) in *Diss. de Portione coniugum statutaria Lubecensi. Cap. V. §. 10. pag. 123.*

g) in *notis ad* TREVTLERI *Disput. ad Pand. Disp. I. Thes. vlt. Litt. E.*

h) in *Diss. de statutis ciuitatum prouincialium in successione ab intestato ad bona etiam alibi sita secundum ius ciuile extendendis. (Lipsiae 1741.) et in* EIVSDEM *Opusc. N. 7. pag. 201.*

i) in *Obseruat. iur. vniu. T. I. obs. XXVIII.*

k) in *Diss. de efficacia statutorum in res extra territorium sitas. Tubingae. 1778. §. 26.* Mutauit vero sententiam Vir clariss. in *Principiorum Iuris ciuilis romano-germanici Tom. I. (Tubingae 1788.) §. 143.*

l) in libello *de successione ab intestato. (edit. VII. Giessae 1790.) pag. 31. sq.*

m) in *teutschen Priuatrecht. Tom. I. pag. 32.*

n) in *Iurisprud. forens. §. 1662. F.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0019

sibi persuaserunt: *Sim. Henr.* Mvsaevs o), *Herm.* Zoll p), *Henr. de* Cocceii q), Riccivs r), et *Aug. de* Leyser s), qui tamen, ne pacem, quae inter plurimos ICtos in hoc capite coaluit, turbet, communi adhuc accessit opinioni. Nonnullos verum in ea versari sententia legimus, vt discernant, num statutum sit in rem an in personam conceptum: v. c. vtrum exprimat: bona decedentium veniant ad primogenitum; an vero ita contineatur: bona auferantur a primogenito; tuncque illius negantes extensionem, admittant hoc quoque in bonis extra territorium sitis. Sunt herciscundi alii, quaestionem controuersam sic dissecantes: aut origine ciuis alterius patriae moritur in altera, in qua domicilium non constituerat, sed fuit prorsus extraneus et aduena; aut in qua domicilium habuit; aut moritur in sua ipsius patria. Si primum, debet vbique attendi statutum et consuetudo originis, a qua non recessit, sed secundum illam voluit viuere et mori. Si secundum, debet inspici consuetudo

o) in Diss. *de foro rei sitae etiam ad res mobiles quasuis pertinente. Chilon. 1705.*

p) in Diss. *de praeferentia statutorum discrepantium. Rint. 1711. §. 25.*

q) in Diss. *de fundata in territorio et plurium locorum concurrente potestate. 1684. Tit. IV. et VIII. §. 4. et 5.* in Eivsdem *Exercitationum curiosarum Palat. Traiect. et Viadrin. Tom. I. (Lemgou. 1772.) pag. 732. sq.*

r) cit. Lib. *von Statutis. p. 594.*

s) *Meditat. ad Pandect. Spec. CCCCXXI. Med. 1—4.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0020

do cuiuslibet loci; ideoque ex ipsa tacita defuncti voluntate consuetudo originis seruanda est in bonis originis et consuetudo domicilii in bonis domicilii. Si tertium, quia decessit in originis loco, nec alibi habuit domicilium, tunc licet dubium sit et arduum, tamen seruandum esse statutum originis in bonis vbique sitis arbitrantur. Respiciunt alii ad locum aditae hereditatis. Sunt alii, qui statuta loci, vbi is, de cuius quaeritur hereditate, e vita migrauit, defendere conantur.

Alii denique, licet defunctus alibi constituisset domicilium, originis leges inspiciendas tradunt. Quarum singularum opinionum propugnatores veteres in medium vocauit *Andreas* TIRAQVELL *t)*, ICtus Parisiensis; horum vero nomina tanquam ignota et obscura referre piget.

Nobis verum vulgaris, a Pragmaticis defensa, quam qui ab ista recedunt, a TIRAQVELLO citati, non tam correxisse quam certis in tantum casibus limitasse videntur, vtique non vera apparet opinio. Ideoque illorum auctoritatem deserentes, horum in partes abimus, qui successionem iuribus domicilii defuncti, siue bona sint mobilia siue alibi sita immobilia, subiiciendam esse probant, nisi, vt iam PVFENDORFIVS excepit, adsit in rei sitae loco statutum prohibitorium, quod de bonis

t) in *Tract. de Iure primigeniorum. (Lugduni. 1566.) Fol. Quaest. 46. p. 667. sq.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0021

aliter disponendi vel testamenti faciendi facultatem adimat, ita vt domicilii huic lege omnino praeiudicium inferri non possit.

Harum ex opinionum diuortio, ei, quam elegimus, sana addere argumenta nostrum est institutum, in quo ita versabimur, vt nonnullis, quibus doctrinae quasi nostrae praeluceamus, praemissis, argumentis dein ipsis propositis et dubiis aduersariorum dilutis, certos postremum casus, siue collisionis species colligamus quidue de his statuendum sit discernamus.

Equidem lubens fateor, doctorum hominum decisiones pro lege interdum posse haberi, quoties lex certa deest et ius in controuersiam adducitur. Vt verum communis opinio vel ius faciat, vel pro veritate habeatur, non multorum, nec eorum, qui in respondendo de iure auctoritate plus quam ipso ingenio valent, consensio quaedam, sed illa quae legum rationi proximiora sunt, efficere debent. Isque demum meo quidem iudicio in verorum ICtorum chorum referendus erit, qui legum solidiorem cognitionem cum vsu forensi conjungit, ac in re vtraque non mediocriter versatus est. Habetis de consilio, cognoscatis de ceteris.

CAPVT

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0022

CAPVT PRIMVM

GENERALIA QVAEDAM PRAEMITTENS.

§. II.

Statuti notio traditur.

ANTE omnia faciamus id, quod in principio, monente *Cicerone*, in omni disputatione debet fieri, vt quid illud sit, de quo disputetur, explicemus, ne vagari et errare cogatur commentatio. Etenim non vna eademue est eruditorum hominum de statutorum voce acceptio, ac vt aliorum alios omittam significatus a), praeprimis vulgaris definitionis, qua peculiares, quas leges sibi condunt ciuitates, *Stadtgesetze*, *Willkühren*, *Reformationes*, *iura municipalia*, *Markrechte*, *Weichbilde* dictae quoque, hac nominatione indicantur, angustis nolim inclusum argumentum nostrum limitibus; quin potius, vt perinde

 quasi

a) Nonnullos tamen dicam, testante VOETIO, statutorum nomen omnium legibus gentium, veluti Gallorum, Anglorum, Germanorum, excepto romano iure, canonico et publico, sententiis quoque et decretis iudicum siue magistratuum, circa singulares res atque personas emanatis tribuere, admisso illo significatu, quem *Vlpianus* in *L. 46. D. de V. S.* et Impp. *Diocl. et Maxim.* in *L. 12. C. de his qui accus.* tradunt. Nobis verum Germaniam egredi, dum argumentorum, quibus vsuri fumus, ex iure ibi recepto petitur pars potior, dum aliarum gentium prout doctrinae nostrae faueant, iuris ignoramus principia, non licet.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0023

quasi Regum Germanorum b) auctoritatem sequar, leges per totam aliquam prouinciam obtinentes iuris vi particularis (*ordinationes prouinciales, Landrechte, Landesordnungen, Landes-Constitutionen*) illis etiam contentas velim, ita, vt sint statuta pro scriptionis huius ambitu, ab iis in Germania leges datae seu receptae, et scriptae et non scriptae, penes quos harum ferendarum vis est atque potestas, siue in territorii superioritate vel priuilegio, siue indulgentia vel imperantis fundata confirmatione. Neque dubitarem leges, prout consensu Ethnarchae et dominorum a rusticis sibi constituuntur, (*Dorfordnungen, Bauerköhren*) nisi, politiam quidem respicere, sed de hereditatibus illis cernere, non licitum esset, referre huc quoque. Ceterum subinde quid, quod in ciuitatum et vrbium magis quam prouinciarum statuta conueniat, iri prolatum, non est quod moneam, atque applicationis quae sit ratio, nemo sponte sua non discernet.

§. III.

De collisione statutorum in genere.

Quodsi verum, quid sit legum conflictus, ex me quaeris, varia illum ex ratione pro variis Doctorum opinionibus praemoneo existere. Ita enim nonnullis iam collisio videtur,

b) v. *Ordinat. Camer. Part. I. Tit. LVII.* vbi verba leguntur: *ländische Ordnungen, Statuten und Gewohnheiten der Fürstenthümen, Herrschaften und Gericht.* conf. *Ordinat. iudi. Imp. aul.* Tit. I. §. 15. *Recess. imper. nouiss. §. 105.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0024

detur, dum legi priori ita obstat posterior vt hac illa vel omnino vel ex parte infringatur siue antiquetur. Quam tamen legum derogationem nomine hoc indicare dubitamus ac parui momenti censemus, quippe statim eiusmodi malo e MODESTINI praecepto facile medicina paratur, quod ICtus in Lib. IV. *Excusationum* a) his verbis dedit: αι μεταγενεσεραι διαταξεις ισχυροτεραι των προ αυτων εισιν. id est: *constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quae ipsas praecesserint.* Neque cogitationes desigimus nostras in ista, qua in eodem territorio lex specialior derogat generaliori, colluctatione, secundum tritissimam paroemiam, quae omnem facile contentionem componit; neque sermo est de illa legum inter se pugna, quae ανομια ab interpretibus iuris nuncupatur cuiue medicas suas manus inferre solent; nec de vera legum eiusdem nomothetae validarum contradictione agitur, quam nemo nisi ipse sanare poterit. Sed nobis, vt dicamus, quoniam aliorum aliis explicandi et definiendi immorari studiis ad nostra nil confert, quid de hac re sentiamus: nimirum legum collisionem, cuius verbi quae ratione et vi continentur, sane sunt innumerabilia, oriri & adesse tunc tandem videri, quando duae vel plures diversarum regionum siue iurisdictionum eiusdem causae leges sibi vindicant iudicium, et vna vel altera, seu vtraque adhibita, non idem producitur effectus, ita vt vnam alteri cedere ac vires in casu cohibere oporteat. Quod in

a) *L. fin. D. de Constit. princip.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0025

in variis legibus, veluti in Germania noſtra imperii ſtatus, prouincias, vrbes immediatas et mediatas admodum varia conſequuntur iura, accidere multifariam poſſe intelliges. Confligunt enim l. inter ſe eiusdem territorii leges, ſtatuta, finge, vrbis cuiusdam cum aliis ſiue prouincialibus ſiue iure communi, l. vnius territorii cum alieno ſtatutario, prouinciali, ſeu communi ibi recepto iure. Quarum tamen omnium colliſionum eadem ſemper eſt ratio et vbiuis doctrinae noſtrae locus relinquitur. Vt verum accuratiori animi trutina veri exiſtentia conflictus examinari queat, multa adhuc obſeruanda ſunt, quae ſcriptionis noſtrae non capiunt anguſtiae, inprimis ex iis dirimenda, quae de ſtatutorum interpretatione docuerunt viri doctiſſimi *b*). Id tamen ſilentio praeterire non poſ-

b) Conferri hic poſſunt *Car. Ferd.* HOMMEL in *Rapſod. Quaeſt. in foro obuen. Obſ.* DCLX. RICCIVS *von Statutis.* Lib. II. Cap. XI. *von der Auslegung der Statuten. Ernſt. Chriſt.* WESTPHAL in *teutſch. Priuatr. I. Th. I Abhandl. Jo.* HEVMANN im *Geiſt der Geſetze der Teutſchen.* edit. II. (*Nürnb. 1779.*) Cap. IX. pag. 94. ſq. *Jo. Vlr.* CRAMER in *Diſſ. de interpretatione ſtatutorum.* Marb. 1739. *Sim. Pet.* GASSER in D. *de brocardico vulgari: ſtatuta ex iure communi eſſe interpretanda.* Halae 1731. *Juſt. Henn.* BOEHMER in D. *de natura ſtatutorum quae in ciuitatibus prouincialibus conduntur eorumque obligandi principiis.* Halae 1721. rec. 1739. *Gabr. Bernh.* PAGENSTECHER in D. *de ſtatutorum interpretatione vbi contra vel praeter ius commune diſponunt.* Harderouici. 1735. *Ge. Chriſt. Albr.* SPIES in D. *de cauta germ. mixti generis ſtatutorum*

possum, etsi diuersarum iurisdictionum eandem velint caussam occupare, collisionem plane omnem interdum cessare, si fortior adest lex communis. Vti egregium huius rei exemplum praebet quoad successionem intest. *Ordinatio cameralis Augustana* de a. MD. verbis: "*ordnen, setzen, erklären und wollen wir, "dass Dichter und Enkelinnen hinführo von eines "Verlassen- Haab und Güter mit ihrer Vater, "Mutter, Geschwister an statt ihrer Vater und "Mutter zu erben, nach laut gemeiner geschrie-"benen kayserlichen Recht zugelassen werden sol-"len, die Gewohnheit, so an etlichen Or-"ten darwider seyn möchte unange-"sehen &c.*"

Sed veniamus ad illam difficilem et epinosam quaestionem, quam semper viri doctissimi non sine cura et eruditione mouerunt: quodnam jus in conflictu plurium statutorum praeferendum sit? siue: quae, quomodo et quando statuta territorium egrediantur? de qua commentarios scripserunt, in quibus multa explicata, perpolita et repetita inuenies, *Paul.* VOET c), filius JOANNES d), *Ulr.* HVBER

torum interpretatione. Altorf. 1764. *Franc. Phil.* BREITSPRECHER in D. *de statutorum proprie talium principiis eorumque authen. interpretatione.* Gryph. 1773. *Louis* FROLAND *Memoires concernans la nature & la qualité des statuts* à Paris. 1729. 4. in quorum scriptis hic et illic sparsa leguntur, quae ad collisionis litem statutorum, si dubia sint, multa faciunt componendam.

c) *de statutis eorumque concursu. Amstel. 1661. 12.*

d) *in Comment. ad Pand. Lib. I. Tit. IV. P. II.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0027

BER e), *Christ.* RODENBVRG f), *Jo. Nic.* HERT g), *Jo.* ARGENTRAEVS h), *Nic.* BVRGVNDVS i), *S.* STRYCK k), *Dan.* SCHEINEMANN l), *Herm.* ZOLL m), *Franc.* ALF n), *Ant. Jos. Franc.* ERNST o), *Jo. Gottfr* MEIER p), *Tob. Jac.* REINHARTH q), *Henr. de* COCCEJI r), *Jo. Sam. Frid.* BOEHMER s), *Jo. Theoph.* SEGER

e) in *Comment. ad Pand. Lib. I. Tit. III. de iure ciuitatum. Sect. IV. Cap. I.*

f) in *Tr. de iure coniugum cui praemiss. est Tr. praelim. de iure quod oritur ex statutorum vel consuetudinum discrepantium conflictu.*

g) in *cit. Diss.* de *collisione legum. Sect. IV.*

h) *ad Consuetudines Britannicas. Art. CCXVIII. Gl. o.*

i) *cit. Tr. ad Consuetud. Flandr. Tr. I — VII.*

k) *Diss. de iure principis extra territorium.*

l) *D. de auctoritate legum extra territorium legislatoris. Tub. 1696.*

m) *cit. D. de praeferent. statut. discrep.*

n) *D. de diuersorum statutorum concursu eorumque conflictu. Heidelb. 1740. in* EIVSD. *opusc. N. 5. pag. 167. sq.*

o) *D. de statutis eorumque conflictu et praeualentia. Moguntiae. 1732.*

p) *D. de statutorum conflictu eorumque in exteros valore. Giess. 1715.*

q) *de iuris non scripti extra territor. efficientia. Goett. 1737.* et *de duarum l. plurium iurisdictionum in vna eademque caussa conflictu. Erf. 1731.*

r) in *cit. Diss. de fundata in territorio et plurium locorum concurrente potestate.*

s) iu *Diss. de efficacia statuti personalis extra territorium. Erf. ad Viadr. 1756.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0028

GER [t], *Car. Chr.* HOFACKER [u], *E. Ch.* WESTPHAL [v], *Frid.* BOEHMER [w], et *Jo. Laur.* BILDERBECK [x]. Quorum si comprehenderit doctrinas et principiorum, quae tradunt, epitomen quasi fecerit, non dubito quin multo locupletior futura sit nostra qualiscunque scriptio. Sed profecto parum proficuum hoc esset verendumue ne abstrahamur a caussa nostra, quae non tam generalibus gaudet collisionis argumentis, quam suis propriis omnino vtitur. Attamen non illud quod omnibus placet omittam remedium, ad quod tanquam confugiunt Lydium lapidem, quod ipsis est instar fili Ariadnes, cuius ope deuerticula cauere sibi videntur et anfractus. Putant nimirum in diuersarum legum contentione vel ad personas, vel res, siue actus respici debere, ita, vt in iure personis directe scripto leges illius ciuitatis, cui persona subiecta est; in iure rerum soli et quae illis comparantur, leges directo rei impositae, vbicunque etiam locorum et a quocunque actus celebretur; denique in forma actuum et contrahendorum negotiorum leges loci, vbi aliquid

t) in cit. *Diss. de efficacia legum et decretorum in territorio alieno.*

u) in *cit. Diss. de efficacia statutorum in res extra territorium sitas.*

v) in *teutschen Privatrecht. Tom. I. pag. 32.*

w) in *nou. iuris controuersi Par. II. obs. 59.*

x) in *Praefatione ad statuta Cellensia: Abhandlung welchen Orts statuta in concursu cum aliis zu attendiren?*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0029

quid factum sit, consulendae praeprimis sint. Natum inde in vulgus notum discrimen, quo iuris interpretes, certas sibi fingentes statutorum species, horum alia in classem *personalium*, alia in numerum *realium*, alia in *mixtorum* redigunt sortem. Sed vix est, vt distinctione ista non magis impl cent difficilem et impeditam de collidentium legum praeferentia doctrinam. Misere se multos tor uentes in speciebus istis constituendis et explicandis videmus. Alius hoc, alius illud principium ponit. Hic mixta fingit statuta quae alter expungit. Idem statutum reale ille, personale hic habet. Vbique haeret aqua; in eodem luto hacsitant. Quorum itaque laborem ineptum inutilemue iudicantes, alii aliam sibi sternunt viam. Triplicem hunc tractant casum: vel actus in aliquo loco de rebus, illi et agentium arbitrio subiectis, vel ab incola vel forensi suscipitur; vel iuxta leges alicuius loci celebratus spectatur apud exteros; vel ex certo quo loco in territoria aliena et res ibi sitas agitur; atque primum ex imperio ciuili, secundum iure naturali perfecto, tertium sola humanitate et aequitate decidendum statuunt. Sed mihi, si dicam quid sentiam, argumentum hoc quod difficultate sua non caret, licet in illo tam multi iique viri doctissimi operas suas posuerint, industria et ingenio cuiusdam opus habere videtur adhuc, qui firma iaceat fundamenta, ne habeat quod timeat, ne corruat quod superstruxerit. Neque despero, quantum coniectura auguror, quantaue video in nostris homi-

hominibus esse ingenia, fore aliquem, qui non heri demum, aut nudius tertius, nec casu quodam, aut naufragium passus, ad amplum huius tractationis campum eiectus, omnem huius ambitum peragret, in omnibus angulis differat, ac de quibus illi tenui et exsangui disputarunt, argumentatione, omni qua par est doctrina et studio explicet.

§. IV.

Statuendi potestatis ratio enucleatur, ac refelluntur, qui illam iurisdictionis limitibus includunt.

QVONIAM vero omnis disputatio de eo futura est nostra: an statutis iuris hereditarii caussa ordinandi extra territorium statuentium vim porrigere concedatur, quo iure magistratibus statuta condendi facultas competat, res ipsa hortari videtur definire; quam quæstionem a multis aliis, inprimis RICCIO explanatam, attingere tamen magis convenit quam exponere. De legibus quidem provinciarum facile non dubitatur; hasue e territorii supremo iure trahendam esse ferendi potestatem, nemo est qui neget. At non idem cernunt de civitatum prouinciarum statutis Doctores. Statuere enim, vt ipsorum verba retineam, iurisdictionis esse, vbi ideoque iurisdictio cessat, ibi nec statutorum obtinere dispositionem, multi ac eorum, quibuscum certamen instituimus, quam-

plurimi contendunt, e quibus Gloſſatores Bartolvm [a] ac Baldvm [b], Tiraqvellvm [c], Bvrgvndvm [d], Mevivm [e], Colervm [f] et Carpzovivm [g] nominaſſe ſufficiet.

Sed alia tradunt *Nic. Chriſt.* Lynker [h], *J. H.* Boehmer [i], Riccivs [k], *G. L.* Menken [l], *Henr. Chriſt. de* Selchow [m] et clar. Hofacker [n], quibus et nos calculum noſtrum adiicimus. Nil enim veri rationibus priorum, ſub examen reuocatis, ſupereſſe intelligitur. Petunt quidem Gaii et Martiani auctoritates, quas in ſententiam detorquere ſtudent, quorum alter in Lib. III. ad edi-

a) *ad L. 9. Dig. de iuſtit. et iure.*

b) *ad L. 3. §. 1. D. quod quisque iuris.*

c) in cit. *Tr. de Iure primigeniorum. Quaeſt. XVI. 2. et XLIII. 4.*

d) in cit. *Tr. ad Conſuet. Flandr. Tr. I. n. 25. p. 44.*

e) *ad Ius lubec. Quaeſt. II. n. 64.*

f) *de proceſſibus executiuis. P. I. C. 3. n. 12.*

g) *Lib. VI. Tit. IV. Reſp. 39. n. 5.*

h) in *Diſſ. de ſtatutis ciuitatum prouincialium. Jenae 1699.*

i) in cit. *Diſſ. de natura ſtatutorum quae in ciuitat. prou. cond.* in Eivsdem *Exercit. ad Pand. Tom. I. pag. 693. ſq.*

k) cit. Tr. L II. c. 2.

l) cit. *D. de ſtatutis ciuit. prouinc. in ſucc. ab int. ad bona etiam al. ſita extend. §. III—V.*

m) in *Elem. iur. germanici. §. 53.*

n) in cit. *princ. Tom. I. §. 130.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0032

edictum prouinc. o), *publicam*, docet, *appellationem in compluribus cauſſis ad populum romanum reſpicere: ciuitates enim priuatorum loco haberi;* et alter in Lib. XIV. Inſtitut. p), *nil intereſſe, utrum priuatus an ciuitas filiofamilias crediderit*, ſcripſit. Ciuitatum igitur magiſtratibus, dum priuatorum iure gaudent, etiam pactis, vti haec conceſſum eſt priuato legi communi celebrare contraria, ſtatuta quoque propria condere iisque iuri communi derogare permiſſum eſſe, ex his verbis colligere auſi. Quis vero non ſua ſponte viderit, haec, quae a ICtis, quorum fragmenta huc retulimus, adeo eſſe dicta, vt vel quantum ciuitatum conditio a populi romani maieſtate diſtet appareat, vel in contractibus priuatis ciuitates exaequentur, nullam ad leges ferendi poteſtatem concluſionem admittere. Longe alia eſt ratio pacti, quo quis ciuis in iis rebus, quae arbitrio ſunt relictae, contra ius ciuile diſponit quid, vel mutat, et quibus hoc in territorio aliquo antiquari ſeu corrigi debet ſtatutorum q). Deinde, quae Romanorum municipiis et communitatibus conceſſa fuerunt, non niſi inuita Themide patriae et reluctante, ciuitati-

 bus

o) *L. 16. D. de V. S.*

p) *L. 15. D. ad Sctum Macedon.*

q) Quae igitur membra vniuerſitatis alicuius vel collegii inter ſe leges erigunt, etſi citra imperantis conſenſum conuentionis vim acquirant, neque ſtatutorum nomine veniunt, neque iure fruuntur. Riccius *pag. 405.* Hofacker *l. c. §. 131.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0033

bus noſtris praeter vllum diſcrimen concedenda etiam eſſe; certum eſt, quam quod certiſſimum, ita, vt, quaſi legitimum proferentes teſtem CALLISTRATVM, qui, *quod ſemel ordo* (decurionum) *decrevit, non oportere reſcindi*, HADRIANVM refert *Nicomedenſibus reſcripſiſſe* r), ciuitatibus qui iure proprio ſtatuta conficiendi libertatem vendicare cupiant, niſi nos noſtra penitus fallit opinio, oleum et operam omnem perdant. Sicue illorum ſublatis, vt mihi perſuadeo, rationibus, veriorem omnino horum ſententiam cenſendam, vtroque pollice laudandam exiſtimo, qui municipiorum ſtatuendi ius non niſi ex antecedenti ſiue priuilegio vel ſubſequuto territorii domini conſenſu ducunt, atque, vt κατα τεχνην loquar, *mediate* competere iudicant. Probatione enim vlla ſane non indiget, omnia, quae legum auctoritate obtinere debent, ab eo ſolummodo, qui ſummi moderatur imperii habenas, exoriri tantum poſſe. Iam quodſi verum eſt, prout negari nequit, ſubeant prouinciarum ciuitates PAVLI iudicium, *ea quae*, aientis, *magis imperii ſunt, quam iurisdictionis, magiſtratus municipalis non facere poteſt* s).

Quamuis igitur haec explorati iuris ſunt, quibus nil addere iuuat, fortaſſe inde orta eſt diſſenſio, quod neque conſenſu neque confirmatione in ſanciendis ſuis legibus imperan-

r) *L. 5. D. de decret. ab ordine facien.*

s) *L. 26. D. ad Municipalem.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0034

perantis interdum magiſtratus indigeant t). Sed horum ius, ex priuilegio ortum, nihilominus iurisdictionis cauſſa neutiquam nititur. Aeque ac ne quidem priuilegium adeſſe ſaepius haud inficior, cuius verum defectum in ignauia et principum incuria, qui, magiſtratuum arbitrio nimis olim indulgentes, iura ſua neglexerunt, quaerendum eſſe, iam animaduertit Riccivs u) et exemplis firmauit. Noſtris vero temporibus, de ſuperioritatis ſuae territorialis admodum iure ſoliciti principes, omnesue iſtius ad calculos ſuos effectus exacte reuocantes, citra confirmationem ſuam et approbationem nullam obligandi vim ſtatutis tribuunt. Quae quum ita ſint, quaeſtionis, quam excutiendam ſumſimus, in re noſtra gerenda vſum eximium cernes. Quippe ex iuris dicendi facultate ſtatuendi perperam ius aeſtimari, liquidis quum probatum ſit argumentis, id etiam, cujus cauſſa haec dicta ſunt, perſpicuum cuiuis videbitur, ſtatuta ſcilicet, quibus obligandi virtutes inſunt, non intra iurisdictionis fines, ſed leges tanquam a principe firmatas, in vni-

 uerſo

t) Quorum nihilominus ſtatuta effectum producere, inprimis monſtrarunt *Lüder* Menken in D. *de ſtatutorum non confirmatorum effectu. Lipſ. 1697.* in Eivsdem *Diſſertat. iurid. Lipſiae 1705.*) *pag. 479 ſq. et Chr. Henr.* Brevning *de ſtatutorum non confirmatorum iure. Lipſ. 1766.* Attamen non aliud quam priuilegii aut tacitae conceſſionis fundamentum ponunt.

u) cit. l. *pag. 10. ſq.* conf. Struve *in Nebenſt. Th. II. pag. 149. ed. nouiſſ.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0035

uerso eius territorio vim suam exercere. Cuius veritatis adhuc infra frui expediet beneficio.

§. V.

Vulgatae origines opinionis indagantur.

VALET saepe multum ad vincendum, probari το εγχωριον ηθος, instituta propria, mores et domesticas leges, e quibus, quae vulgo circumferuntur, originem ducunt opiniones, nec non mutatis illis et exoletis, approbatione et suffragiis has perperam ornari, ostendi. Ita mihi in communis vestiganda erroris origine, in bonis immobilibus e rei sitae foro duntaxat arcessendam esse successionis legem, antiquitatis vso ratione, praeprimis olim in Germania nostra mos vsitatus tradendi bona et testamenta condendi illius visa est ratio. Germanis quidem priscis, apud quos, testante TACITO, plus boni mores quam alibi bonae leges valebant, inter eos, quibus amoris et sanguinis vinculo iuncti fuerunt, in mortis casum bona diuidere pro lubitu et arbitrio, aut patrimonio eosdem penitus priuare, sicue naturae legem subuertere, sane sine dubio odiosum, nefandum, imo ignotum fuit atque solummodo iis, quibus et natis et propinquis aeuum vergebat orbis, de possessionibus suis transferendis indicia edere permissum. Et Majores nostri, ante quos nulli mortalium fide vnquam fuerunt, quantopere hanc retinentes se

se gesserint, vti alias hinc inprimis cognosci potest, quod detrectationum, reuocationum et doli ignari suspicionis, ritus et solemnitates, fidem ac securitatem facientes, ne quidem cogitarunt.

Subsequutis autem temporibus, postquam alio more viuere, nonsolum patriam parentesue armis tegere sed et diuitias quaerere, non tantum gloria et libertate contenti, res suas augere, aliorum interdum appetere coeperant, gens non admodum ferox et mansuetior facta, vbi morum vidit deprauationem, irruentia vitia, litigiorum ortum, vt sicuti belli labore ita et iustitia cresceret, de re publica et priuata ordinanda atque legibus sanciendis solicita fuit.

Inprimis itaque, vt vbique profluentes litium et inimicitiarum fontes obstiparentur, inclusus certis regulis priscus bona ad alios transferendi eaque acquirendi modus et variis ritibus auctus, nec non nimiae donatorum, praecipue patrum familias largitiones limitatae atque coarctatae. Proinde bonorum translatio apud plerasque Germaniae nationes coram Rege, siue Comite, seu iudice alio in re praesenti, adhibitis symbolis, fieri debuit. Sic Franci *adfatomia* siue *adramitione* vsi a); et inter Ripvarios horum

 qui-

a) *v. Leg.* Salic. *Tit. XLIX.* Francus itaque, bona alteri collaturus, iudicem inferiorem, Tunginum qui post Comitem erat, seu Centenarium qui per cen-

quidem tantum non omnes ritus imitatos, sancitum fuit: *vt, si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem suam in praesentia Regis conferret, vel per scripturam seriem in iudicio traderet, vel ipsam rerum deditionem* b). Similia BVRGVNDIONES, ANGLOS, WERINOSque obseruasse, licet horum non exstent sanctiones de hac re expressae, facile crediderim. Donatione hereditatem, *Thinx* appellata, transmiserunt LONGOBARDI c), cuius inde ortis vt

centenas ius dixit, adiit et rogauit, vt mallum indiceret legitimum et homines conuocaret, qui adessent. Jacta tunc in iudicio in sinum donatarii atque recepta festuca, nominato herede et rerum collocandarum quantitate dicta, itum est in donatoris domum, vbi is, in cuius laisam festuca iacta fuerat, hospites tres suscipere et de facultate, quantum ei dabatur, in potestate sua habere, i. e. actum possessorium exercere debuit. Quae omnia, vt rite gesta fuerint, intra XII. menses coram Rege adductis testibus confirmari oportuit. Confer. *Ph. Wilh.* GERKEN *von dem ritu traditionis cum symbolo rami arboris, mit einem Risse bey Uebergabe der Immobiliarstücke.* in EIVSDEM *Fragment. March. P. I. pag. 161. sq.*

b) *v. Tit. XLVIII.* L. L. RIPVARIOR. et *Tit. LIX.* vbi *Cap. III.* eadem in donatione obseruari iubentur, quae de venditione sancita sunt, cuius *Cap. I.* hanc formam tradit: *si emtor testamentum* (i. e. instrumentum s. chartam ad venditionem, donationem, translationem probandam scriptam) *accipere voluerit, in mallo hoc facere debet; et pretium in praesente tradat et rem accipiat.*

c) legitur haec vox in *Lib. II. LL.* LONGOBARD. *Tit. XV. Cap. I.* et explicatur a *du* CANGE in *Gloss. sub h. v.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0038

vt malis occurreret et mederetur CAROLVS magnus, traditionem quoque *coram Comite, vel coram Rege et scabinis, vel misso Dominico, qui tunc ad iustitiam faciendam in prouincia fuerint ordinati, peragere iussit* d). Nec alienae WISIGOTHORVM leges, praecipue THEODORICI Regis edictum e), quo cautum: "*si praedium rusticum aut vrbanum quisquam libero arbitrio conferre voluerit — — confectioni gestorum praesentes adhibeantur tres curiales, aut magistratus, aut pro magistratu defensor ciuitatis cum tribus curialibus, aut duumuiri vel quinquennalis, qui si defuerint, in alia ciuitate quae haec habuerit, allegationis firmitas impleatur, aut apud iudicem eiusdem prouinciae, quod donatum fuerit, allegetur.*" Retinuerunt haec etiam. Ius prouinciale *Saxonicum* f) et *Weichbildum Magdeburgicum* g), dum traditionem pactumue coram iudice eius loci, in quo bona sita, fieri debere et celebrari liquidissimis verbis praecipiunt. Accesserunt his, obscuris medii aeui temporibus, ritus adhuc multi alii et symbola moribus, quae inuestiturae nomine veniebant, a magistratibus rei sitae loci peragendae, cuiusue vsus in Germania vndique maximus

d) *Lib. II. Tit. XVI. Cap. I. L. Longob.*

e) *Cap. LII.*

f) *Lib. I. Art. XXI. Man mag Frawen wol eigen geben zu ihrem Leib mit der Erben Laub, wie wenig es sey, inwendig dem Gericht, do das Eigen innen liegt, an jeglicher Stadt, do des Königs Bann sey. & Art. XXXIV.*

g) *Art. XX. Gloss. n. 4.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0039

euasit h). Quae quidem omnia, cum componere testamenta coeperant Majores nostri i), vti

h) Qua de re scripsit *Burc.* VERPOORTEN in Diss. *de investitura allodiorum ejusdemque originibus usu et auctoritate praesente. Coburg. 1715.* et cura *F. C.* CONRADI *Helmstad. 1741.*

i) Non eadem ferunt suffragia viri eruditi de testamentorum in Germania origine. Nam docent quidem plurimi, supremae voluntatis testationes antiquissimis penitus temporibus incognitas fuisse, v. c. *Jo.* SCHILTER in *Prax. iur. rom. Exercit. II. §. 14. Jo. Gottl.* HEINECCIVS in *Elem. Jur. germanici. Lib. II. Tit. VI. §. 141. sq. Jo. Pet. de* LVDEWIG in Diss. *de differentiis iuris rom. et germanici in donationibus et barbari adnexus acceptatione. Halae 1720. Diss. III. c. 6. Ge. Christ.* GEBAVER in *Progr. de Iure successionum apud veteres Germanos. Goett. 1753. Just. Christ.* DITHMAR in *notis ad* TACITVM *de moribus Germ. Cap. XX.* sed faciunt discessionem in aliam sententiam *S.* STRYCK *de succes. ab intest. Diss. VIII. C. I. §. 3.* fide LEHMANNI *Chron. spirensis Lib. II. Cap. 20. pag. 98.* referens: Carolum magnum victorem Germanis, difficili bello perdomitis, testamenti factionem ademisse; restitutam a Ludovico pio atque inde colligens, iam ante Caroli tempora testandi qualemcunque modum Germanos in vsu habuisse; et *Henr. Christ. de* SENKENBERG in Diss. *de testamenti publici origine et solemnitatibus extrinsecis. Cap. III. §. 2.* in TACITI loco de mor. germ. *Cap. XXXII* "*Iura successionum equi traduntur: excipit filius, non, vt cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.*" dispositionem inter liberos inuenisse sibi persuadens. Sed vtrumque, illum HEINNECCIVS *l. c.* hunc *Car. Gottl.* COMPASS in Diss. *de testamentis solennibus inualidis ex statutorum vrbium Lusatiae sup. consensu. Lips. 1762. §. IX. sq.* hallucinari satis superque monstrarunt et correxerunt.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0040

vti in traditionibus olim seruata erant et donationibus inter viuos, in illis quoque condendis multa cum cura seruarunt et custodia, testante SENKENBERGIO k), qui ea, qua multis antecellit rerum germanicarum notitia, de hac re explanate disseruit.

Sed et alio adhuc modo testamentorum vsus restrictus fuit. Quippe nec sine eorum, qui, condominio ex sanguinis iure et agnationis gauisi, succedendi ius habuerunt l), ad

k) in cit. Diss.

l) De condominio, tanquam vera successionis germanicae fonte, praeprimis accuratius doctrinam euolvit *de* SENKENBERG in *Meditatione de renunciationibus filiarum illustrium* in EIVSDEM *Medit. Fasc. II.* (*Giess. 1739. 8.*) *pag. 408. sq.* vel in *disquisitione de successione filiarum in regnis et principatibus. Giess. 1742. Cap. I. §q.* et in Diss. *Primae lineae condominii pro indiuiso siue ganerbiatus.* (*Goett. 1736. pag. 21. et 38.* vel in cit. Diss. *de test. pub. orig. Cap. III. §. 3.* Cui accedunt inter alios *Jo. Jac.* REINHARD in Tract. germanice scripto: *Die Gemeinschaft als ein wahrer Grund der Erbfolge und der einzige Grund der Lehnsfolge der Seitenverwandten.* (*1755. Fol.*) *Car. Frid.* WALCH in Diss. *de Condominio successionis fonte in Germania. Jenae 1773. Jo. Steph.* PÜTTER in Diss. *de normis decidendi successiones familiarum illustrium controuersas* in EIVSDEM *Sylloge Comment. ius priuatum principum illustr. N. III. pag. 173.* (*Goett. 1768.*) et vberius et fusius hoc argumentum tractauit *Frid. Christ. Jonath.* FISCHER in libro: *Ueber die Geschichte der teutschen Erbfolge. Ulm. 1779. 8. v.* etiam *J. C. Lorber à* STOERCHEN in *Instit. iur. feudalis tum German. tum Longob. Lib. III. Tit. I. §. 333. pag. 404. sq.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0041

ad quosue alias reditura credebatur hereditas, bona auita alienare et de iisdem testari consensu permissum fuit, ita vt, mutato domicilio, nihilominus soli bona eodem condominii nexus et legum statu starent. Quod probant SAXONVM *m*), BAIVWARIORVM et BVRGVNDIONVM Leges *n*), *Ius* SVERINENSE *o*), WEICHBILDVM MAGD. *p*) *ſ. P.* ALEMANNICVM *q*) et pluribus locis tradit *Epko* à REPKOW *r*). Deinde

m) *Tit. XV. et XIII.*

n) *Tit. I.*

o) Quod exstat. latine scriptum *in Frid.* THOMAE *Analect. Gustrou. pag. 51. sq.* et germanice apud WESTPHALIVM *in Specim. document. Mecklenburg. pag. 205. sq.*

p) *Art. XX. Gloss. ad Art. II. n. 5.*

q) Edit. Meichsnerianae rubr. *wie der Mann sein eygens hingeben mag, dass es Krafft hab: Gibt einer sein eygens wider seiner Erben Willen hin, und on des Vogts Ding, sie sollen vor den Richter und sollen es versprechen, und der Richter soll es da antworten dem Erben.* Confer. *statuta Stadensia. P. I. Art. 8.* in PVFENDORFII *Obseruat. iur vniu. Append. Tom. I. n. 4. pag. 173. et statuta Rigensia. Art. VII.* in EIVSD. *Tom. III. append. N. 4. pag. 225.* Imo maior nonnunquam heredum consensus quam coram iudice traditionis peragendae ratio habebatur, testante *Lib. I. art. 34.* Spec. Saxon: *Ohne des Richters Urlaub mag ein Mann sein eygen wohl vergeben mit der Eruen Gunst.*

r) in cit. Art. XXI. Lib. I. Spec. Sax. et Art. LII. *Ohne der Erben Laub und ohne Gericht mag kein Mann sein eygen Gut noch seine Leuth vorgeben.* Quae loca vti et alia ex iure Saxonico egre-

inde verum, vt probe discriminis bonorum, quod vulgaris inculcat opinio, animaduertatur origo, illud considerari oportet, de rebus, quae moueri possunt, hucusque dicta non accipienda esse, quorum alienationi semper magis indultum fuit et mortis caussa translationi s). Atque his paucis, quae leuiter tantum adduxi et quibus, ne plura addam, instituti ratio monet et vetat, reputatis, iam in rebus olim praecipue, dum iure transferebantur hereditario, non in hominibus considerationis et respectus caussam omnem fuisse intelligitur.

Post-

egregie illustrat D. JENSEN in Diss. *de libera bona auita alienandi facultate in Holsatia. Cap. II.* vbi agit *de alienatione bonorum auitorum absque heredum consensu ex speculo Saxon. nulla.*

s) Id quod adprime docet Glossa ad *Weichb.* Art. XXX. *Alle fahrende Habe aber giebt der Mann wohl ohne Laub der Erben in allen Stedten und an allen Orten und lässet und verleihet sein Gut, allein, dass er sich also vermöge, dass er begürtet mit einem Schwerd und mit einem Schild auf ein Ross kommen möge von einem Stein oder Stock einer Daum Ellen hoch, ohne Hülfe, also doch, dass man ihm das Ross und den Stegereif halte.* Quae de equestri dignitate ornatis intelligenda saltem esse recte obseruat Glossa. A plebeio verum municipe requirit: *dass er auf seinem Siechbette die Dinge vergeben möchte, welche er über das Bettbrett hinweg reichen möchte.* Doctissime de hac re disseruit *Jo. Car. Henr.* DREYER *de restricta facultate bona hereditaria alienandi ad hereditaria bona mobilia non pertinente iure germanico, holsatico et lubecensi. Kil. 1750.* Vid. etiam *statuta Kedingensia de anno 1662. Tit. XII. apud* PVFENDORFIVM *in app. Tom. I. obseru. pag. 150.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0043

Posteaquam vero clericorum studiis, conatibus, machinationibus, quibus semper gentilitatem infringere, salutem laicis animarum suadere, horum contra bonis inhiare, ecclesias se suosque locupletari cordi ac curae fuit, cognito atque recepto iure romano, quod disponendi libertatem plenam cuiuis tribuit, liberrima innotesceret facultas testandi, Tuistonis imitandi semper studio ducta progenies, nostra inprimis tempestate, vti quondam Quirites, et gloriam aliquam in eo quaerit, vt legem rebus suis dicat, atque suprema sua ordinans, in vltimo quoque vitae spatio patrisfamilias maiestatem ostendat. Igitur mutata illa rerum et temporum facie, vt priorum moribus seculorum et legibus hodierna successionum norma accomodetur, frustra volunt atque conantur.

Sed et aliam adhuc oppugnandae fontem opinionis reperisse mihi videor. Eo enim tempore, quo Germanorum res soli, praedia atque territoria, ex parte maxima feudorum naturam receperant, ita, vt bona immobilia κατ' ἐξοχην feudorum voce significarentur t), nec

t) Ita *Jo. Gottfr.* Baver in Diss. *de successione legitimatorum per nuptias exsule in feudis. §. 23. 24.* non infelici coniectura vsus, voce Lehn immobilia in speculo Alemannico insigniri statuit. Atque testatur *Dan. Geo.* Strvbe in *rechtlichen Bedenken. P. IV. Bed. XXXVIII. pag. 68. edit. nouiss.* in Germania res soli hereditarias, quae per resignationem et inuestituram coram iudice tradendae erant acquirendae, verbo hoc esse saepissime indicatas

nec non bona, inprimis avita, tantum non omnia in fideicommissorum formam transfundebantur, vel alio clientelari nexu, colonario, puta, iure adstringebantur, facile docuerunt, quaecunque allodia, quae moueri non poterant, feudorum seu eiusmodi bonorum iure regunda esse illius aeui legum interpretes. Accedit sine dubio Glossatorum auctoritas, quae, dum iuris nostra scientia caligine adhuc mersa fuit, ingens in foris facta est; at nos sane non terrens. In iis enim quaestionibus, in quibus expressam habemus aut saltem non obscuram Papiniani vel alterius cuiuspiam ex veteribus auctoritatem, parum nos, existimo cum *Ant.* FABRO, curare debere, quid Bartolus, quid Baldus aliique minorum gentium interpretes senserint.

CAPVT SECVNDVM.

DOMICILII SEV LEGES POTIVS QVIBVS IS IN CVIVS BONIS SVCCESSIO DEBET ORDINARI SVBIECTVS FVIT OBSERVANDAS ESSE DEMONSTRATVR ET ADVERSARIORVM ARGVMENTA EXAMINANTVR ET REFELLVNTVR.

§. VI.

Argumentandi modi constituuntur.

IAM vt ad haec, quibus illa, quam defendere conamur sententiam, sustentari queat, accedere possimus, dicamus de quo vsuri sumus

sumus modo argumentationis. Nam et eorum, a quibus recedendum, et horum quibus adsentiendum erit, colligens ponderansque probationes, e triplici nimirum, qui legum collisionem in successionum causis commentati sunt, hausisse istas fonte reprehendi. Sunt enim, qui e iure romano hanc controuersiam determinandam esse arbitrantur, quibus adnumero CVRTIVM, CVJACIVM, MENKENIVM, CARPZOVIVM, WERNHERVM, BERGERVM. Alii verum, praeprimis in explicanda statutorum natura commorati, de eadem depromunt argumenta, vtpote BVRGVNDVS, VOETIVS, RICCIVS et PVFENDORF, vt taceam de iis, qui in vtroque versantur probationum loco. Alii denique e morum & obseruantiarum exemplis defenderunt opiniones, quibuscum disputationem ingredi, parum prodesset, quum id, quod factis nititur, infringere nequeam. Itaque vt ordinem, quem proposui exsequar, primum praemissis quibusdam ex ipsa successionis ab intestato ratione & origine sumtis, priorum inquiramus rationes, quae moueantur obiectiones, et quomodo possint remoueri, experientes.

Quamuis enim inficiari nolim, quando de singulorum Germaniae statuum, Caesaris potestati tantum quodammodo subiectorum, quaeritur territorii et iurisdictionum iuribus, quum Romanorum admodum differat ab hodierna patriae politiae ratione, horum de fori domicilii iure, non nisi obseruata restrictione, in diuersis illius territoriis applicandam

dam esse doctrinam a); nihilominus contra eos, qui in re sua defendenda iure vtuntur romano, aequa lancea pugnare licebit, eo magis, quo principiis minus, ex isto iure petitis, territorii iuribus vlla infertur iniuria, vti optimus quisque, argumentis nostris delibatis, concedet nobis facillime. Dein, quae de conflictu et praeferentia statutorum ex horum arcessitu natura viri eruditi, quoque exponam, non illorum deterritus dehortatione, qui in realibus et personalibus explicandis statutis Scyllam et Charybdim cernere, atque dum multos, hanc euitantes, in illam viderint incidentes, felici consilio se hosce scophos praeteruectos opinantur.

§. VII.

Num iuris naturae et gentium principia defendendae respondeant opinioni colligitur.

SANE rectam ingrediuntur viam, qui probaturi quod docent, communem primum omnem iuris fontem adeunt. *Iuris enim disciplina*, vt inquit CICERO c), *non a Praetoris edicto, neque XII. Tabulis, sed penitus ex intima Philosophia haurienda, eaque ab hominis natura repetenda: et qui aliter ius ciuile tradunt, ii*

a) v. SCHILTERI *Prax. iur. ciu. Exercit. VI. §. 23.* STRVBE *rechtl. Bedenken.* I. Th. Bed. CXVIII. pag. 208. edit. nouiss. *Jo. Helw.* SCHÜTZ *ad ius publ. praelect. academ.* Vol. II. Ex. 2. §. 3. D.

c) in L. X. *Quaestionum academicarum.*

ii non tam iuſtitiae, quam litigandi vias tradunt. Igitur ac nobis liceat, in naturae paululum inquirere legem, numque in qua haeremus, ſit illi conſentanea perſuaſio, coniicere. Reſpiciamus ab inteſtato ſucceſſionis duplicem, quam ab ipſa natura profecti eximii iuris interpretes defendere ſolent, originem. Ea eſt enim, ex quorundam doctrina, dominii vis atque indoles, vt poſſit domini voluntate in alium transferri etiam in mortis euentum, retento interim poſſidendi iure. Ideoque ſi quis voluntatis ſuae nullam edidiſſet teſtationem, cum tamen credibile non eſſet, eius eum mentis fuiſſe, vt poſt mortem ſuam bona occupanti cederent, eius eſſe bona intelliguntur, cuius haec eſſe defunctum voluiſſe, maxume eſt probabile *d*). Sed neque minus placet ab aliis ſucceſſionis ab inteſt. omnium gentium, praeprimis Maiorum noſtrorum, ita deſcripta natura: vt ſit condominii effectus, igiturque non ſemper adquirendi modus, ſed occupandi ius poſſeſſionem rei, cui fructus percipiendi accedit facultas, quum dominium ſeparandi et poſſeſſionem ſublata ſit ratio *e*). Vtramque hanc doctrinam cognitam

d) v. *Hug.* Grotivs in *I. Belli ac Pacis* L. II. Cap. VII. §. 3. Confer. *Sam. de* Pvfendorf *de Iure naturae et gentium* L. IV. Cap. 2. et vberius de hoc ſuccedendi fundamento expoſuit *Helm. Herm. Nath.* Wilkens in Diſſ. *de ſucceſſione ab inteſtato ſec. iur. nat. princ.* Jenae 1754.

e) vide in §. V. prolata et auctores cit. in not. l) Sic quaerit *Cornelius van* Byncker shoeck in Lib. II. *Obſeruationum iur. rom.* Cap. I. reiecta volun-

tam et perſpectam habuiſſe videtur mihi ICtus PAVLVS in libro ſingulari *de iure codicillorum* f). *Ideo*, aiens, *fideicommiſſa dari poſſunt ab inteſtato ſuccedentibus, quoniam creditur paterfamilias ſponte ſua his relinquere hereditatem*; ac in Lib. II. ad SABINVM ita ſcribens: *In ſuis heredibus euidentius apparet, continuationem dominii eo rem perducere, vt nulla videatur hereditas fuiſſe; quaſi olim hi domini eſſent, qui etiam viuo patre quodammodo domini exiſtimantur: vnde etiam filius familias appellatur, ſicut paterfamilias: ſo-*

voluntatis coniectura apud Romanos ſuccedendi ab inteſtato rationem in poſſeſſione et συνδεσποτεια; cui accedit PVFENDORF in Tom. II. *Obſeruat.* CXCII. §. 3. non niſi e condominio intelligendum, cur apud Romanos ante Praetoris edictum cognatorum et inter matrem natosue nulla fuerit ſucceſſio, ac emancipati excluſi fuerint a ſuis, arbitratus. Nec JVSTINIANVM, introducto nouo ſucceſſionis ordine, per *Nou.* CXVIII. aliud iſtius fundamentum ieciſſe, defendit clariſſ. KOCH *de ſucceſſ. ab inteſtato* in Schol. ad §. 6. pag. 19. ſq. Et inter Graecos quoque, nimirum Lacedaemonios, bona auita ad extraneos transferre nefas fuit; acriterque uituperatus EPITADEVS, qui teſtamentorum vſum conceſſit, ab ARISTOTELE in Lib. II. *Politicorum* Cap. IX. PLVTARCHVS in Solonis vita: ἐν τω γενει τȣ τεθνηκοτος δει τα χρηματα και τον οικον διαμενειν ſcribens, eadem tradit; a quo non alienus eſt PLATO *de Legibus* Lib. XI. ἡμας, aiens, ȣ̓τε ἡμων, ȣ̓τε την ȣ̓σιαν ταυτην, ξυμπαντος δε τȣ γενȣς ἡμων, τȣ δε ἐμπροθεν και τȣ ἐπειτα ἐσομενȣ.

f) v. L. 8. §. 1. *de iure codicill.*

la nota hac adiecta, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus sit. Itaque post mortem patris, non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur: hac ex caussa, licet heredes non sint instituti, domini sunt g). Quod autem argumentorum genus cuique successionis caussae conveniat, neque hic meum est iudicare, neque nunc id ago, vt vnam vel alteram doctissimorum hominum de intestati ratione probabiliorem harum efficiam opinionum, sed vt, limites scriptionis huius egredi dubitans, idque saltem addens, illas mihi, inter heredes suos et extraneos, inter dominii vim et naturam, intraque naturae et ius gentium discrimine quodam obseruato, omnino videri conciliandas, iam hoc tradam, succedendi vtramque rationem nec infringere sed firmare potius doctrinam nostram.

Admissa enim voluntatis coniectura, atque collocata in defuncti dilectione ab intest. successione, nonne iis, quoties expressiora indicia desunt, haec moribus legibusue videtur declarata, secundum quas et actiones suas composuit ille et mores, cui succeditur? Et si verum, prout in omni iure est receptissimum, quod PLINIVS iunior h) dixit: *defunctorum voluntatem intellexisse pro iure esse*, ideoque ex ista successionem ordinandam, certe nemo, reputans haec apud animum, adeo coe-

g) L. 11. D. *de Lib. et Posthum. hered. instit.* conf. *L. 7. D. de bonis damnat.*

h) Lib. IV. *Epist. X.*

coecus erit, qui domicilii leges non animaduertat. Dein, si condominium successionis intestatae arcem potius possidere videretur tibi, illos tamen, qui alicui, quandocunque vitam fata reposcent, sunt successuri, ipso adhuc viuo iam succedendi spem tenuisse eosque iure gauisos, quo nisi per nouam legem, testamenti scilicet, seu alias licitas dispositiones priuari non potuerunt, haud ferme recusaueris. Fieri autem nequit, vt ius successionis, viuente adhuc eo, de cuius quaeritur hereditate, in euentum quasi adquisitum, nisi ab istis regatur iuribus, quibus persona defuncti subiecta fuit.

At, quum in eo omnis versetur nostra defensio, vt inter bona mobilia et immobilia, quoad successionis eligendam legem, e iuris, quod natura gentibus et ciuitatibus scripsit, doctrina discrimen auferamus, siue rerum insuper habendum esse situm ostendamus, et iis respondendum erit, qui tritum illud: ciuitatem vnam ab altera cogi non posse, opponunt, ideoque eam, in cuius reperiuntur bona territorio, subiicere alienis legibus haec non oportere. Sed ego ne cum isto quidem praecepto pugno. Sit sane tantum, quantum illud esse velint. Nam contra fatendum erit, hoc non impedire, quo minus naturalis quaedam inter ciuitates obligatio intercedat, quae quidem omnem respuens coactionem, at in rerum cursu inque earum naturali fundata consequentia, necessitatis legem induat. Ea enim est plerumque

cauſſarum, quae in foris tractari ſolent, praeprimis ſucceſſionum ordinandarum conditio, vt ex earundem diuiſione oriatur et incommodorum multitudo et ſaepiſſime invincibile rem ad finem perducendi impedimentum quoddam. Quis autem eſt, qui neget, cauſſa, in quam diuiſio non cadit, vno tantum explicanda in loco, eius ciuitatis potiora iura cenſenda eſſe, quae formam ſtatuit, cuiusque iurisdictioni quis ſubiectus fuit, ideoque omnem ciuitatem, vt ſequar PVFENDORFIVM, qui accuratiori hoc argumentum cogitatione attigit, naturaliter obligari, vt huiusmodi cauſſam, quae diuidi et diuelli commode nequit, ex eius loci iure, vbi eſt formata et perfecta, legitimam perinde habeat, atque ſin intra ſui territorii fines ſimul eſſet perfecta *i*). Veriſſimum enim quidem eſt quod tradit *Vlr.* HVBER *k*): *leges cuiusque reipublicae tenere ac obligare cunctos eidem imperio ſubiectos, nec vltra;* at placeat eiusdem adiecta limitatio: *ſummae poteſtates cuiusque reipublicae indulgent ſibi mutuo, vt iura legesque aliarum in aliarum territoriis effectum habeant, quatenus ſine praeiudicio indulgentium fieri poteſt.*

Videtur haec mihi indulgentia in tacita quadam fundata conuentione, vt leges, quas pleniſſime ferendi penes quamlibet rempublicam eſt poteſtas, extra territorium valeant, ne

i) Vtitur etiam hoc e conuenientiae ratione et naturae ſumto principio clariſſ. HOFACKER in cit. *Princip. §.* 138.

k) *de iure ciuitatis* Lib. III. Sect. IV. Cap. 1.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0052

ne actus, qui efficiuntur legibus, pro parte tantum consistere oporteat. Vti enim ciuis quisque, nonsolum iurium suorum, vt ita dicam, tenacissimus, haec sibi tantum seruat, aliorum ne quidem tangens, et mutua officia in commodum suum accipere respuens, ne dure et acerbe viuat, sed vt quiete beateque vitam transigat, et societatis et mutui adiumenti commodis fruatur, accipit vicissim et donat, ita quoque diuersarum magistratus siue regionum imperantes, subinde quaedam de sui iuris rigore remittunt, ac aliorum iussa probant, imo promouent, ne duriorem reddant subditorum suorum conditionem, molestiis et iniuriis obnoxiam, aliorum turbantes decreta et sancita infirmantes, sicque vicissim turbationes atque legum suarum rescissiones sentire, e talionis iuris ratione coacti. Nam et hic, vt saepe alias, multa non iustitiae seuerioris sed aequioris officia aestumanda sunt, quae nonsolum cum laude praestantur, sed etiam sine culpa omitti nequeunt.

§. VIII.

Ius romanum consulitur, et bonorum considerationem in definiendo successionis ordine nullam esse ostenditur.

Ita nonnunquam iurium, quamuis in re sint, comparata causa est atque ratio, vt non tam e bonorum, quam personarum i. e. possessorum qualitate et statu legem accipere

possit. Vti enim plerumque bona hominum caussa creata, non immerito accessoria tantum iudicantur, ita inprimis hoc de iure dicendum duco, quo defunctorum patrimonia, sub aliorum rediguntur dominium, siue hereditario, circa quod secundum iuris recepta principia, ordinandum siue transferendum, nunquam in bonis, cum ab iis discesseris, de quibus disponendi a legibus vel pactis defuncto facultas adempta fuit *a)*, consultationis et considerationis, vt mea fert opinio, caussa existit. Attamen ne dixerit quispiam, id mei consilii esse, omnem adeo rerum respectum negligendum, ut successio quasi in alicuius mores tantum, ingenium, virtutes supersesse videatur, nisi seria voluerit iocosa facere. Nam nec bona tam flocci, susque deque facio, nec

— *ego*

a) Huiusmodi restrictae testandi facultatis apud Romanos exemplum habemus in Lege VOCONIA, quam a. v. c. DLXXXIV. *Caepione* et *Philippo* Coss. QVINTVS VOCONIVS SAXA Tribun. tulit, quaue cautum fuit: *ne, qui census esset, virginem neue mulierem supra quadrantem bonorum heredem instituere, plusque cuiue legaret, quam ad heredem heredesue peruenire.* Commemorant de illa DIO CASSIVS in ῥωμαικῶν ιϛοριῶν Lib. LVI. ad an. v. 762. qui summam definiuit verbis: δυο ἡμισυ μυριαδας. CICERO in Lib. II. *de finibus bonorum et mal.* Cap. 17. et in Lib. I. *in Verrem.* Cap. 42. GELLIVS in *Noct. attic.* Lib. VII. Cap. 13. Lib. XVII. c. 6. Lib. XX. C. 1. PLINIVS in *hist.* Lib. XXXIII. Cap. 3. PLINIVS iun. in *Paneg.* C. XLII.

— *ego Saturno quemquam regnante videbam,*
Cuius non animo dulcia lucra forent b).

Sed hoc contendam atque probabo, e bonorum attentione, quamuis habeatur praecipua, ac in capienda hereditate adprime animos hominum occupet, succeſſionis ordini ne quicquam inferri. Maxuma autem argumentorum, non tam copia quam vis, ex illis iuris ciuilis trahitur locis, quae hereditatis notionem tradunt. Ita in primis doctrinam noſtram iuuat definitionum obſeruantiſſimi LABEONIS, qui tam exigue et tenuiter illas ad calculos reuocare ſolitus eſt, vt niſi proprio genere et differentiis omnibusque praeceptis Dialecticorum conſtarent, confeſtim reiiceret, ſententia, quam VLPIANVS in Lib. XXXIX. *ad edict.* c) refert: *hereditas bonorumque poſſeſſio non vti rerum poſſeſſio eſt accipienda, eſt enim iuris magis, quam corporis poſſeſſio.*

b) v. OVID. in *Lib. I. Faſtorum.*

c) *L. 3. §. 1. D. de bonorum poſſeſſ.* Quamuis itaque omnino reiicienda CICERONIS, quem longe magis oratorum, quam iuris peritorum corona donauerim, in *Topicorum Cap. VI.* his verbis ſuppeditata definitio: *hereditas eſt pecunia quae morte alicuius ad quempiam peruenit iure, nec ea aut legata teſtamento aut poſſeſſione retenta;* hanc tamen CICERONEM ideam tenuiſſe coniicio, vt hereditatem, pecuniae nomine, quidquid ſub illa comprehenſum ſit, ſignificans, rem ſibi ſingularem et vnicam quaſi fingeret, complicatas fortaſſe notiones euoluere neſciens. Ceterum, neutiquam me fugit, quam late apud veteres ſcriptores pecuniae verbum pateat, vti videre licet in ARISTOTELIS *Ethicorum* Lib. IV. Cap. I.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0055

ſeſſio. Ideoque hereditatem, quam *in vniuerſum ius quod defunctus habuit ſucceſſionem* definiunt IVLIANVS *d)* et GAIVS *e)*, *iuris nomen* dicunt ULPIANVS *f)* et POMPONIVS *g)*, quamue etiam *ſine vllo corpore iuris intellectum habere* affirmat PAPINIANVS *h)*, incorporale eſſe aliquid, in ſenſus non cadens, nuda tantum cogitatione percipiendum et intellectu, fictum, chimaericum, vti dixit ICtus Hontiuerienſis *Fo.* FERNANDEZ *de* RETES *i)*, ideoque nullibi ſitam deprehendi, fruſtra bonorum locum reſpici, haud inuita concludendi arte colligitur, et in propatulo eſt. Solicite etiam cauent romani interpretes, ne vſurpata vox: bonorum poſſeſſio hereditatis ſignificationem variet. Sic ULPIANVS in cit. Lib. *bona autem, hic vt plerumque ſolemus dicere, ita accipienda ſunt, vniuerſitatem cuiusque ſucceſſionem, qua ſuccedítur in ius demortui*, ſcribit; et AFRICANVS in Lib. IV. *Quaeſtionum k). Bonorum*, ait, *appellatio, ſicut hereditatis, vniuerſitatem quandam ac ius ſucceſſionis, et non ſingulares res demonſtrat.* Quum

d) in *L. 62. D. de Reg. iur.* add. L. 128. *§.* 1. D. *de Regulis iuris. L. 9. §. 12. D. de hered. inſtitut.*

e) *L. 24. D. de V. S.*

f) *L. 178. §.* 1. eod.

g) *L. 119.* eod.

h) *L. 50. de heredit. petit.*

i) *de Interdictis et relegatis.* Lib. III. Illat. I.

k) *L. 208.* D. *de V. S.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0056

Quum itaque in his locis multisque aliis, quibus supersedeo, hereditas semper a rebus ita discernatur, sicuti e. g. vsusfructus et obligatio a fructibus ipsis et rebus, quae debentur, ius hereditarium, vi cuius res vniuersae ad quempiam, seu plures perueniunt, non a singulis rebus, sed vniuersitate rerum legem accipere posse, in aprico est. *Neque iudex, de isto iure cognoscens*, vt verba CVRTII retineam, qui de hac re mentem satis ingenuose expl cuit, *per consequens de fundis cognoscat, in hereditate inuentis, id facit tanquam de singulis, et quasi hoc ageret, sed vt de vniuersitate, quae loco non circumscribitur, nec vllo territorio clauditur.* Probe, quia est discernendum est, num quis de rebus iudicet, in vniuersitate quadam inuentis, κατ' εκαστον: vtrum vniuersitatem συλλ.ψθην iudicio suo submittat, singularia corpora eatenus tantum curans, quatenus vniuersitatem constituant. Quae quidem distinctio non incongrue de illo coniicitur exemplo, quod IOVOLENVS in Lib. IX. *Epistolarum* l) ita expressit: *eum qui aedes mercatus est, non puto aliud, quam ipsas aedes possidere; nam si singulas res possidere intelligiretur, ipsas aedes non possidebit. Separatis enim corporibus, ex quibus aedes constant, vniuersitas aedium intelligi non poterit.* Si verum forte quis existerit, qui, vt in omni caussa contraria foueat, et Arcesilae modo et Carneadis contra omne, quod proponitur, differat, neget a venditione aedium

l) L. 23. D. *de vsurpat. et vsucap.* conferat. MENCKEN in cit. D. §. XIV. et XV. longius in hac lege commoratus explicanda et applicanda.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0057

aedium ad hereditatem argumenti consequentiam, dicam, cur legem in partes meas trahere non dubitarim et sententiam. Vulgari scilicet vtor, quod a maiori ad minus Logici dictant conclusionem, argumentandi principio. Sin enim rerum vniuersitas, cui maior tamen inhaeret rerum contentarum consideratio, separatis corporibus, vniuersitas non intelligatur, multo magis de iuris vniuersitate, quae omnem ignorat ad bona respectum, idem dicendum iudicamus. Atque praeterea quae hactenus attulimus, in iis, ob quas compertissimum habemus, rationibus, in hereditate, quae tanquam iuris vniuersitas considerari debet, de rebus singulis earumque iure non ita agi posse, vt hereditarium ius ex illis definiatur, siue succedendi ordo, vt adhuc magis eluceſcat, quam recte iuris oeconomiae hereditarii doctrina nostra conueniat, ficta illa heredis et defuncti personae vnitas non inepte numeranda videtur. Quum enim heres, qui in vniuersum ius demortui, *non tantum singularum rerum*, vt ait POMPONIVS m), *dominium* succedit, eiusdem iuris et potestatis sit, cuius fuit defunctus n), legum locorum diuersitate, vbi bona hereditaria posita sunt, hereditas vexari nequit. Etenim alias nonnunquam euenire poterit, vt heres, ab illis legibus ad hereditatem vocatus, vniuersam, ab aliis vero exclusus, non in vniuersum

m) L. 37. D. *de adquir. hered.*

n) *L. 59. D. de Reg. Iur.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0058

uersum ius, sed singula bona succederet. Quod iis, quae diximus, perquam contrarium est.

§. IX.

Ius hereditarium e defuncti iure et persona, siue domicilii legibus, aestimandum esse demonstratur.

Quodsi nunc ea, quae in paragrapho antecedenti veram et genuinam hereditatis notionem explicant, memoria ita repetuntur, vt hereditas tamquam ius vniuersale et in sensu proprio indiuiduum intelligatur a), cuinam iuri subiicienda illa sit? profecto non ambigua videbitur quaestio, neque scrupulosa requiritur indagatio. Bonorum enim consideratione omni remota et propulsa, ex hac neutiquam sed persona eius, qui hereditatem reliquit, ius hereditarium diiudicandum esse, non inuito iure colligitur. Conueniunt huic conclusioni omnia illa tritissima, quae et ii non ignorant, qui vix a limine Themidem romanam salutarunt.

In volgus omnino notum est, hereditatem, quae iacet, personam defuncti repraesentare ita, vt secundum Gaii b) effatum, *defuncti locum obtinens, domina habeatur et seruo personam ciuilem det*, hancue igitur non alio iure, quam secundum quod dominus, dum aetatis tempus

a) vid. Hotomanni *Illustr. IX.*

b) v. *L. 31. §. 1. D. de hered. instit.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0059

pus degebat, iura, mores actiones composuit, posse subnixam putari patet. Deinde, ne malam cohaerentem et aduersa fronte secum pugnantem habeamus iurisprudentiam, *cum publice expediat*, vt PAVLVS *c)* inquit, *suprema iudicia hominum exitum habere*, iisque IVSTINIANVS *d)* legum auctoritatem tribuat, in respicienda defuncti voluntate, quae in successione quoque ab intestato, vti antea, PAVLIANA auctoritate vsus, monui, neutiquam negligenda est et comtemnenda, vt eandem vim tacita, quam expressa habeat, omnino domicilii iura praeferenda erunt. Nam qui in eodem loco semper perstitit, videtur voluisse mori, et bona etiam sua ab intestato ad heredes peruenire secundum statuta et consuetudines, quibus subiectus fuit, quas quidem et non extraneas scire intelligitur, vti hoc PAPINIANO *e)* quoque, ni fallor, visum est. Et sane miror, cur e communi Doctorum sententia, si a paucis discesserim *f)*, statutum

c) in *L. 5. D. Testam. quemadm. aperiant.*

d) in *Nouellae XXII.* Cap. 2.

e) v. L. 14. *D. ad municipalem.*

f) Ita *Petrus* PECK *de testamentis coniugum* Lib. III. Cap. 17. heredem scriptum ea tantum capere bona, quae concluſa iuris scripti limitibus, bona verum alibi sita, ad heredem ab intestato deferri arbitratur. *Nic.* BVRGVNDVS in cit. Tr. *ad consuet. Flandr.* N. VI. solennitates testamenti ad iura realia, extra territorium haud extendenda, refert et *Joach.* MYNSINGER in *singul. obs. iud. imp. cam. Cent.* VI. obs. 19. cameram docet Imperii olim iudicasse, legem municipalem, contra

tutum, teſtamenti factionem ordinans, vires ſuas extra territorium ita extendat, vt heredes ſcripti poſſint ſuccedere in cunctis bonis, vbicunque ſitis, et in vniuerſum ius teſtatoris g); ſucceſſionis contra, quae nil aliud eſt, quam

contra ius commune teſtamentifactionis ſolennitates ordinantem, in bona extra territorium ſita nullam exerere vim.

g) Teſtantur id GAIL *Lib. II. obſ.* CXXIII. VINNIVS in *Quaeſt. ſelect.* Lib. II. Cap. 19. CVJACIVS Lib. XIV. obſ. 12. in f. CARPZOV in *Jurispr. for.* P. III. Conſt. VI. Def. 12. SCHILTER in *Pr. iur. ciu.* Exercit. XXXVIII. §. 15. ex naturali aequitate, gentium iure, mutua obſeruantia et retorſionis euitatione hoc ſtatuendum affirmans. HOFACKER in cit. *Princip. iuris ciuilis.* §. 142. et RICCIVS dum in cit. L. *de ſtatutis.* pag. 534. receptiſſimam hanc dicit ſententiam, aliis hanc addit rationem: *quod ſi alicui pro legum terrarum, vbi fundos, agros ſiue aedes poſſidet, diuerſitate, omnes, quas praecipiunt, ſolennitates obſeruandae eſſent, ne pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decederet, non vnum teſtamentum, ſed contra omnem iuris rationem plura, variis inter ſe digreſſa ſolennitatibus, deberet conſcribere, ſingula ſcilicet iuxta ſtatuta cuiusuis vrbis ac loci; vel in vno teſtamento ſequi conſuetudines plurium locorum, et actum per ſe indiuiduum huic et illo loco diuerſimode impartiri.* Quae egregie ſe aptant inteſtatae ſucceſſioni. Quod ſi enim contingat, vti contingere ſaepe numero ſolet, vt quis, ex iure communi ſiue ciuili ex parte ad ſucceſſionem vocaretur, ex parte prouinciae iure ſiue vrbis, non vno eodemque iure acciperet portionem, quod tamen annuente CVJACIO in cit. *Conſultatione* XXV. nunquam fieri poteſt. Quod perinde foret, putat ille ſummus Iureconſultus, ac ſi paganus partim iure teſtati, partim inteſtati decedere poſſet.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0061

quam tacitum teſtamentum e voluntatis coniectura, longe alia ſit legis ratio. Quidni ſtatuto, a quo teſtamentum, ſiue domeſtica lex teſtatoris, tantam extra territorii fines ſe extendentem vim recipit, potius vim iſtam ipſi tribuamus?

Ante verum omnia velim, vt mihi et hoc des, quod dare debes, ea, quae in omnium iudiciorum, quae exiſtere ſolent, ambagibus ex perſonae ſtatu capienda ſunt; praecipi et praeparari quoque in hereditate diſtribuenda oportere, *ne*, monente SCAEVOLA [h], *ante iuris*

h) v. L. 14. D. *de iure codicill.* In quauis iuris cauſſa primo quaerendum eſſe de perſona, tanquam de cauſſa efficiente, adnotat GOTHOFREDVS ad L. 4. D. *qui teſtam. facere.* Vbi GAIVS et in teſtamentis animaduertendum eſſe docet, quo iure teſtationem fecerit aliquis; quae quidem quaeſtio haud aliena eſt ab iſta: num inteſtatus ſucceſſionis capax ſit? de qua re vt exempla habeamus, ponam ea, quia in promtu ſunt, quae CVRTIVS dedit. " *Nothum vocamus aut ſpurium*, inquit ille eximius Iureconſultus Brugenſis, *qui non ex iuſtis nuptiis natus eſt: apud alios hic nullos heredes niſi liberos habet; liberi ſi deſunt, hereditatem occupat fiſcus. Sunt alii, apud quos mater, aut Notho per matrem cognatione iuncti propinqui, ſi liberi non ſuperſunt, ex aequis partibus cum fiſco ſuccedant. Rurſus non vbique fratris filius ex perſona patris in hereditate iam defuncti partem patruo ſuo, etiamnum viuenti, facit: et apud alios in vltimam quoque, et quamuis loginquam, ſtirpem hoc genus ſucceſſionis valet. Denique apud nos portio eius, qui hereditatem non petit, alteri illi, qui adit, accreſcit: apud ceteros pro vacante in fiſcum vertitur. Haec ergo,* (et

iuris ratio habeatur quam perſonae. Digniſſima igitur ſcitu, ante omnia tractanda et abſoluenda eſt quaeſtio: quaenam eius, qui hereditatem reliquit, fuerit qualitas? cuius fuerit ſtatus et iuris? numne deceſſerit ſucceſſionis capax, nec ne? quatenus et qua ratione bona ſua in heredes transtulerit? et quae ſunt huiusmodi alia, ex defuncti perſona conſideranda et iure explicanda.

Tandem ſententiam noſtram, a iure ciuili inſignis domicilio tributa, magnopere iuuat auctoritas, quam ſi in rem noſtram conuertimus, quod ſecundum ea, quae hucusque prolata ſunt, ſane licebit, domicilii ſtatuta, dum vniuerſalem defuncto dant ſucceſſorem, in bonis, vbicunque ſitis, hunc quoque dare, difficile nemini erit intellectu. Sicue vndique ſe nobis commendat domicilii defenſio!

§. X.

Argumentum aliud in litium prolixitatem odium ſuppeditat.

Mvlta adhuc in iure romano occurrunt, quae in re noſtra profutura videantur, ſed eorum alia tam leuia iudicamus, vt contemnenda ſint, in aliis, etſi adiumentum ferrent,

(et multa id genus alia nam eſſe quis ambigat?) haud ſine cunctatione tractanda, non aliter recte ſis explicaturus, quam ſecundum leges et mores, quos habet regio, cuius iurisdictioni is ſubiectus erat, de cuius hereditate quaeritur."

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0063

rent, tamen vitii aliquid ineſſe credimus, vti in argumentatione, quam a collecta, quae ſubdito poſſit imponi pro bonis alibi ſitis a), et tutoris datione, in bonis alterius iurisdictionis quoque valida b), ſibi nonnulli ſumunt. Ac quoniam his praeprimis duobus argumentis: bonorum ſitum non reſpici, et ius hereditarium e perſona defuncti, ſiue domicilii legibus aeſtimandum eſſe, iam perducti ſumus ad id, cuius cauſſa conſcripta eſt haec opella, omnia, quae addimus, non tam neceſſitati quam cauſſae dignitati et copiae inſeruire arbitramur; ſed leuia tamen nemo iudicabit.

Fatentur ſcilicet aduerſarii noſtri, aureae praxeos ſacerdotes, quae ex diſcrimine inter bona immobilia et mobilia in transferenda hereditate oriri ſoleat, ipſis obiici poſſe

a) Licere vti ſibi putant hoc exemplo ad ſuffulciendum, quod probant: ſubditum etiam reſpectu bonorum, quae in aliis terris iacent, afficere ſtatutum, quaerentes praeſidium in *L. 6. §. vlt. L. 18. §. 18. D. de muner. et honoribus.* Nam ſin hoc in collectis, multo magis in ſucceſſionis praelatione procedere id perſuadere ſibi audent, quum quis inuitus collectetur, ſed ſucceſſor voluntarius ſpontaneo detur. v. TIRAQVELLI cit. *Quaeſt.* 46. n. 19.

b) ex argum. *L. 21. §. 2. D. de excuſ. tut. L. 5. §. 12. D. de rebus eorum. L. 1. in f. D. de tutor. et cur.* vbi iidem tutores a domicilii iudice in vniuerſis bonis conſtituuntur; ac quum potentior lex agat quam iudex, ſucceſſoris ſtatuti deſtinationem ad omnia bona quoque extendi debere colligunt. v. TIRAQ. cit. Q. n. 20.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0064

posse vitandam litium prolixitatem; at parum istam curant, ne in id videlicet, quod prodest, inuehantur. Verum enim vero quisque religiosus, qui Themidem sincero cultu dignatur, ita legum mentem exponet, ita leges applicabit, vt, quantum fieri possit, breuissimus semper decidendi modus eligatur. Quemnam, quaeso, controuersiam nostram diiudicatum euntes, ingredi possumus tramitem rectiorem ac impeditum minus, quam adeuntes statim defuncti domicilium? Quod vt luculentius appareat, fingamus, vt alia omittam caussarum amplissimarum exempla, quae non tantum excogitari sed e vita sumi possunt, fingamus, succedere alicui ab intestato, qui Hamburgi diem supremum obiit, ac huius vrbis subiectus fuit statutis, parentes, fratres-germanos et, vt aiunt, separatos. Cogitemus porro, bonorum intestatum nostrum reliquisse in Marchia Brandenburgica partem, cuius leges iuris ciuilis sequuntur ordinem, et parentes cum fratribus germanis vllo fine discrimine ad successionem admittunt c); alia eius bona sita esse in territorio, iuri Lubecensi subiecto, quod post descendentes statim vocat fratres separatos, et post hos demum patrem matremue admittit d); alia in Saxonia reperiri ponamus, vbi collaterales excluduntur ab ascendentibus e). Age,

c) v. *Constitutionem Marchicam: von Erbfällen. Rubr. von der auffsteigenden Linea.*

d) v. *Iur. Lubec. Lib. II. Tit. 2. art. 1. et 7.*

e) v. *Sächs. Landrecht. Lib. I. art. 17.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0065

quonam filo iam Labyrintho te expedies? Profecto parum abeſt, quin, e diuerſis et diſcrepantibus his ſtatutis ſucceſſionem ordinaturus, haud leuem heredibus iniuriam inferas, nec dubio caret, quin perniciſſimae inde emergant rixae, quas contra ſaluberrimo iuris romani praecepto: ne id, quod vno eodemue iudicio poterat terminari, apud diuerſos iudices ventiletur, probe ſeruato, facillime diſcernes. Aut numne videtur tibi vnius plura eſſe patrimonia, atque intra quorum iurisdictionum fines bona reperiuntur, lucrum ex illis iure eſſe aucupaturos iudices? Minime conſentientem habes PAPINIANVM, qui in Lib. V. Reſponſorum *f*) ita ſcripſit: *Cum oriundus ex prouincia, Romae domicilium haberet, eiusdem curator decreto praeſidis ac praetoris conſtitutus, rerum adminiſtrationem vtrubique ſuſcepit, placuit eum duas curationes adminiſtrare non videri, quod videlicet vnius duo patrimonia non viderentur.* PAPINIANVS itaque, priuati vnum tantum patrimonium eſſe docens, niſi me omnia fallunt, non iudicum ſed heredum etiam vtilitatibus vult inſeruiri, quibus ius ciuile ſemper fauet, neque vnquam plus incommodi, quam commodi in illis ſtatuit.

Admonendos rogandosue igitur puto Prudentes, ſi quid audiendum loquor, et precibus meis vti vellent, vt in reſponſis ſuis cauſſae noſtrae iſtam dent deciſionem, quae non ſolum legibus eſt conformior, ſed quam aequitatis quoque ſtudium ſuadet; ne hereditas,

f) v. *L. 30. §. 1. D. de excuſat. tut.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0066

ditas, quae plerumque luctuosa et solatii loco relinquitur, iudicum et caussidicorum effrenatae saepe inhiandi cupiditati et rapacitati obnoxia sit.

Cur verum nihilosecius sententia nostra, licet admodum commendabilis, in dubium semper vocata sit, non miramur; *nihil enim*, inquit diuus noster JVSTINIANVS g), *inter homines sic est indubitatum, vt non possit (licet aliquid sit valde iustissimum) tamen suscipere quandam solicitam dubitationem;* cur vero tam multis displicuerit, non intelligimus nisi ex ista, quam iam diximus rationem.

§. XI.

Vtrum statuta, dum de succedendi ordine disponunt; inter realia, an personalia siue mixta habenda sint? disquiritur. Expenduntur clariss. HOFACKERI *definitiones.*

MAXIMO autem sententiae nostrae auxilio est regula iuris vulgata, qua forensis (quasi foris habitans, *Auswärtiger*) cui aliud est forum domicilii, alienae ciuitatis non obligatur statutis. Quippe defunctum, qui bona quidem in territorio aliquo reliquit, cuius verum legibus non paruit, nec secundum harum dispositionem hereditatem transmisisse, nobis videtur in aprico esse. Attamen adeo multae obstant exceptiones, vt praecepto

 illo

g) in *Nouellae XLIV. Cap. I. §. 3.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0067

illo plane frui non liceat, antequam diligentiori tractatu habito, et curiose examinatis ponderatisque quae contraria sint, quaestionem illam: quando, et qua ratione bonorum caussa, inprimis verum quoad ius in illis ordinandum hereditarium, vbi reperiuntur loci statutis obnoxius dici et haberi possit forensis? discussam habeamus *a*). Quod vt accurate peragatur, praeprimis doctorum hominum de statutis *realibus*, *personalibus mixtisue* audiendae sunt explicationes, quibus trutinatis, et ad caussam nostram applicatis, nouis victoriae et veritatis decorata prodiet doctrina nostra ornamentis. Nam sin id probatum fuerit, quod vno omnes ore fere negant, statuta, ius hereditarium ordinantia, in personalibus siue mixtis habenda esse, victoriam in manibus habemus. Efficientiam enim vltra territorium statutis omnes concedunt *personalibus* *b*), qua de re inprimis data opera exposuit

a) Quatenus forenses statutis obligentur plenius exposuerunt *Augusti. Bened.* Carpzou in Diss. *de quaestione: quatenus forenses obligentur statutis alienae ciuitatis.* Lipsi. 1685. *B.* Barilis in Diss. *de potestate legis municipalis in aduenas et indigenas.* Lugd. Bat. 1641. *Jo. Frid.* Wolff in D. *de forensibus ad ius statutorum relatis.* Basil. 1685. *Henr.* Hildebrand in D. *de obligatione forensium ex iure statutario.* Altorf. 1698. qui, quamuis quoad quaestionem nostram vulgari inhaereant opinioni, conferri hic merentur.

b) Est axioma quod ponunt: Quoties de ipsa persona, eiusue perpetua capacitate, qualitate, conditione, statu, dignitate &c. agitur, totum hoc pendet a potestate, vel statutis eius loci, vbi domi-

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0068

posuit *Jo. Sam. Frider.* Boehmer c); neque vnius Voetii dissensione disiectum esse consensionis globum iam Pvfendorfivs d) ostendit. Ne vero cum turba eruditorum nobis res sit, quorum nihilo sapientior multorum relinqueres oracula, idem illis adclamans, quod *Demipho* Terentianus e) Iurisconsultis suis adclamauit: *feciſtis probe, incertior ſum multum ac dudum!* demus illis, qui cauſſam dicant, *Chriſt. Gottl.* Riccivm, et vnum e noſtrae aetatis Coryphaeis, *Carolum Chriſtophorum* Hofackervm, cuius nouiſſime de hac re in titulo Syſtematis ſui iuris, quem *de ſtatutis* ſcripſit f), ſuppeditatas notiones primum in medio ponamus, quas his verbis expreſſas legimus: "*Qualitas ſtatuto domicilii* (Personali) *perſonae alicui tributa eam, vbicunque degat, comitatur hoc effectu, vt fruatur et teneatur eo iure, quod ex iſta qualitate deſcendit. Vbi itaque de perſona huiusque actibus et rebus ſtatuitur, ſi tantum quaeritur de per-*

 ſonae

domicilium habet. v. *de* Cocceii cit. Diſſ. *de fundata in territ. &c. Tit. V. §. 6. Vol. I. diſp. pag. 719.* Reinharth in cit. Diſſ. *de iuris non ſcripti extra territorium efficientia. §. XVII.*

c) in cit. Diſſ. *de efficacia ſtatuti perſonalis extra territorium.*

d) in cit. *Obſ. XXVIII. §. 8. Tom. I.* vbi contra Voetivm, qui *ſummo iure* ſtatuta ne quidem perſonalia extra territorium proferri exiſtimauit, e *naturali obligatione* et iis, quae vberius exposui, argumentis quoad ſucceſſ. ab int. contraria effecit. Confer. §. VII. huius Diſſ.

e) *Phormio.* Act. IV. Sc. II. v. 18. 19.

f) v. cit. *Princ.* §. 139. ſq.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0069

sonae iure v. c. an quis maior minorue, filius-familias, nobilis &c. sit, deciditur id ex statuto domicilii." Et de statuto reali haec habet: "*Cum de Rebus earumque iure quaeritur, definitur id vnice Statuto* (REALI) *loci, vbi res sitae sunt, ex auctoritate legis in res potestati subiectas scriptae. Neque hac in re alia rerum immobilium alia mobilium causa est, cum hae ad locum, vbi dominus domicilium habet, destinatae esse, adeoque iuris intellectu ibidem sitae esse existimentur. Colligitur ex ista regula: successionem intestatam regi quoad immobilia statutis rerum sitarum &c.*" Verum enim vero verendum est, ne haec quoad conclusionem, quae succeſſ. ab inteſt. statuto reali subiicit, minus belle inter se cohaereant, quod tanti Viri pace dictum sit. Quum enim statutum *personale* ita definiatur: vt personae qualitatem tribuat, seu de illius actibus et iure statuat, num ius hereditarium personae hac definitione excluſum sit? quaerendum duco. Nonne ius illud, quod ciui ita a legibus domicilii sui tribuitur, vt bona sua, sin

illuc, vnde negant redire quemquam,

sine voluntatis supremae testatione abierit, certum secundum ordinem in alios transferat, inter ea referendum est, quae *actibus* et *voluntati* cuiuslibet relicta sunt? Nec limitationem adferunt subsequuta verba: si tantum de personae iure quaeritur, et addita exempla: an quis maior, minor, &c. Nam dubium non est, Virum doctissimum, huiuscemodi quaestiones, quae his aequiparantur et nituntur, esse quoque admissurum, v. c. si quis

sit

sit paterfamilias, quonam iure vtatur in transferendis bonis, *de quibus penes ipsum est disponendi facultas, arbitrium atque potestas?* sin est filiusfamilias, quid tunc? &c. Quaenam enim, quaeso, alias de subditis, eorumue qualitatibus et iuribus statuendi legibus vis supereſſet, si nequidem illae ex his possent diiudicari? Atque sane statuta omnia, dum successionis instruunt ordinem, in eiusmodi sensum accipienda sunt: u. c. si quis est filiusfamilias, ius ipsius hereditarium ita comparatum est, vt patrimonium parentes capiant. Ex pluribus siue certos heredes semper designant, siue proximos vocant; de personis ideoque disponunt eorumue iure. Deinde quam vellem, Aduersarius noster clarissimus magis explicuisset, dum de rebus et harum iure quaestiones e statutis realibus definiendas docet, quatenus et qua ratione ius hereditarium potestati territoriali subiectum esse debeat. Protulit quidem paulo antea theorema quoddam, *territorii domini potestati subesse, adeoque ex legibus eius regi ius rerum s. bonorum in territorio comprehensorum* g) tradens, quod prout generaliter et vniuersaliter dictum est, admodum in certis casibus limitandum mihi videtur. Quando enim iura a natura, conditione et situ bonorum legem accipiunt, siue de iure ac facultate, quod a re ipsa proficiscitur, seruitute et libertate quaeritur, facillime concedimus hanc vim, quae tribuitur potestati territoriali. Quoties autem *ius rerum* a *qualitate* siue personae i. e. possessoris

g) v. §. 134.

ris ſtatu regitur, qui aliis ſubeſt ſtatutis, omnino haec proferenda erunt; quod quidem quoad ius hereditarium, non niſi, vti antea effecimus, ex perſona defuncti aeſtumandum, perquam verum aequus quisque iudicabit. Aſt ex iis, quae ſtatuta *mixta* declarant, probe perpenſis, adhuc magis cernere promtum erit, quod definitiones illae neutiquam noſtram infringant ſententiam et labefactent. "*Forma actus*, ait Vir noſter iurisconſultiſſimus, *veluti teſtamenti aut conuentionis, tanquam id quod in ſolo perſonae facto conſiſtit, regitur Statuto (quod DD. vocare ſolent,* MIXTO*) loci, vbi geritur negotium. Quae vero ad ſubſtantiam actus et res, de quibus diſponitur, pertinent, ſubiacent ſtatuto (reali) rei ſitae tam mobilis quam immobilis, ſiue de ipſis rebus ſtatuatur, ſiue de facultate perſonae circa eas agendi. Neque tamen*, addit, *id impedire quo minus in cauſis, vbi arbitrio priuatorum locus eſt, expreſſa vel tacita conuentione ſtatuatur ius diuerſum ab eo, quod in loco rei ſitae obtinet;*" h) atque inde *bonorum communionem conſuetudinariam* ad bona alibi ſita protendi concedit; e quibus omnibus non leue emolumentum capit ſententia noſtra. Quum enim conuentione, ſiue exprimatur verbis, ſiue tacite per leges, ſtatuta rei ſitae loci tolli poſſe datum nobis ſit, nemo quoque ſanus ambiget, eum qui ſtatutis domicilii ſui ſubiectus fuit, haecue in transferendis ſuis bonis approbauit, tacite illas locorum leges, vbi bona ſua diſperſa iacent, ſublatas velle, nullamue

h) v. §. 142. et 143.

lamue his vim tribuere. Multum enim abeſt, quin ſucceſſionis inteſtatae et bonorum communionis hac in cauſſa alia habeatur ratio. Vti in hac regula iſta, quam iam oppugnauimus vniuerſalem, limitatur de poteſtate territoriali in res ſubiectas, ita in illa quoque limitanda venit; quod in hac tacite efficitur, et in illa producitur; vti in hac bona tanquam acceſſoria et iuris communionis partes habentur, ita in illa conſiderantur. Et quis, quaeſo, ferret, quam in bonorum communione legibus poteſtatem concedimus, iisdem in ſucceſſione ab inteſtato adimere, neque tamen diuerſam ſubeſſe extenſionis rationem euincere. Virum igitur illuſtrem, qui eam, quam defendimus, ſententiam veriorem antea cenſuit et tradidit, in libro ſuo egregio, quem ſine dubio vſui vult forenſi accomodatum et gratum eſſe, opinionem retranctatem, autumari mihi videor poſſe, Pragmaticorum aliquid indulſiſſe auctoritati.

§. XII.

Continuatur, et Riccii *trutinatis notionibus, certiora de ſtatutis perſonalibus et realibus quoad cauſſam noſtram indicia exhibentur.*

Convertamvs nos ad Riccivm, qui omnium pleniſſime de ſtatutorum *perſonalium* et *realium* tractauit diſcrimine *a*). Retinet is qui-

a) in vaſtiſſimo ſuo Commentario *von Stadtgeſetzen* vbi Lib. II. Cap. XIV. de ſtatutis, quae *perſonis* cer-

quidem communes et vulgares definitiones; sed vt has accuratius adhuc exsequatur, in partem suam accipit, quae *Abrahamus a* Wesel b), his verbis desiderat: *vt omnis* scilicet *statuti dispositio, circa personae statum, qualitatem aut conditionem consistat, citra vllam rerum adiectionem, adeoque vt materia, circa quam statutum operando versatur, sola sit persona, cui et qualitas et ius inprimatur.*

Prout verum plerisque accidit, vt in hac re sibi facile contradicant, ita et Riccivs, paulo post aliam in medio eiusdem *Abrahami* explicationem ponens, angustam illam latiorem ipse effecit notionem. Iis enim, qui axioma de statutis *personalibus:* quotiescunque de habilitate et inhabilitate personae quaeratur, toties domicilii leges spectandas esse, non admittunt, sin actus fuerit *realis*, ita satisfecit: "*habilitas*, aiens, *rerum suarum non administrandarum modo, sed et alienandarum aptitudo ad conditionem atque statum personae spectat; statum autem a nullo alio, quam domicilii iudice (adde et statuto loci) cui persona subsit, consequitur. Itaque an persona rebus suis obeunda apta, vel inepta sit, semper inspici oportet, quid de ea domicilii iudex (vel rectius statutum loci, secundum quod pronunciare obligatur iudex) statuerit, et quam aetatem is maturi-*

certam *characterem* inprimunt et *qualitatem*, Cap. XV. de statutis, quibus certa *actibus* forma praescribitur, et Cap. XV. de statutis *realibus* prolixe scripsit.

b) *ad Constitut. novell. Vltraiectinas. Art. I. n. 14.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0074

turitati subditorum suorum praestituerit" c). Intelligitur itaque, alienationem et translationem bonorum omnino a qualitate et possessoris *(personae)* statu dirigi, ac satis puto superque evictum antea esse, non aliter se habere ius hereditarium, statutumue ideo domicilii, quod ordinem, quo ciuis tacite transfert patrimonium, instruit, personale quoque omni putari posse iure.

Sed

c) *pag. 525.* Quem sensum habere queat, verbum, quo omnes fere vtuntur, *afficere*, iam explanauit *de* PVFENDORF in cit. *obseruat. §. V.* vbi contra BVRGVNDVM et VOETIVM disputat, vtrumque etiam sibi repugnare ostendens. "*Quaeso*, inquit, vt quaedam viri doctissimi, quae nostra illustrent, heic adiiciam, *si a bonis feudalibus, fideicommissariis et huiusmodi forte discesseris, quaenam qualitas ipsi rei per successionem inprimatur. Mihi quidem nec res, nec dominia rerum hoc solo affici videntur. Statuta, quibus de successionibus cauetur, plerumque ita fere cauent, vt ordinem succedendi ab intestato introducant, videlicet, vt si quis intestatus moriatur, haeres eius designetnr. Quo facto de rebus principaliter non disponitur, multo minus res afficiuntur, sed potius circa personas et cognatos statutum cauet, vter alterutrum in successione praecedat. Plane nisi statutum formam immutabilem praescripserit, res ipsa affici nequit. Idem vero inde denuo conuincitur, quod res non possit affici, nisi possessor quoque rei afficiatur, vt limitationem et statum quendam moralem respectu eius rei accipiat. Quod quidem ratione futurae successionis non intelligitur, nisi obligatus possessor sit, vt rem post mortem suam personis, statuto designatis, relinquat. Nam omnis status hominis moralis in iuribus et obligationibus consistit &c.*"

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0075

Sed videamus, quid Riccivs noſter de *realibus* ſentiat, quibus, vt et accuratius et perpenſius diſcernantur a perſonalibus, id illis proprium eſſe, vt dirigant res ipſas, certisue qualitatibus dominia afficiant, u. c. bona auita ne alienentur, κείλησιον addit, atque diſcernendo in *ſtatuto reali* et *perſonali, non ad id, quod legislatorem adegerit, neque quibus perſonis permiſſum quid ſit vel interdictum, ſed obiectum reſpiciendum eſſe praecipit, quod qualeue illud ſit, quod de perſonis ſtatutum praedicet, et cui actui eaedem agendo applicentur* d). At quo, quaeſo, modo praeceptum iſtud, ſtatutis realibus magis, quam par eſt, fauens, defendi vnquam poterit. Mihi quidem et cuiuis ſano, nunquam non in omni ſtatuto conſiderando et applicando, illius praeprimis videtur indaganda ratio, vtrum de perſonarum iure ſtatuat, an de rerum, i. e. *perſonale* an *reale* cenſeri poſſit, ita diſpiciendum, vt id, quod ſtatuto effici debet, potiſſimum habeatur.

Praeterea verum et illa vtitur ratiocinandi ratione aduerſarius, qua in ſoli bonis, quia territorii partes ſunt, etſi poſſeſſor alienae ciuis ciuitatis fuerit, e territorii ſtatutis ordinandam eſſe ius hereditarium euincitur; ſed hanc non tutam, ſed praeiudicatis opinionibus adnumerandam eſſe, iam in paragrapho antecedenti animaduertimus. Confugit etiam ad certas ex iure romano petitas leges, ex quibus Pragmatici in defendenda ſua opinione praeſidium ſibi promittunt, ſed de iniuſta harum applicatione deinde dicendi locus erit.

At

d) pag. 546.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0076

At largiamur Riccio omnia quae de ſtatutis *realibus* profert, licet ex arbitrio definita, ex Tripode quaſi dicta, nullis legibus ſuſtentata; nihilominus e ſuis ipſius praeceptis verbisue defendi poterit ſententia noſtra. Ita, *mutato domicilio, ſucceſſionem quoque mutari inteſtatam, quatenus a domicilii legibus pendeat*, concedit *e)*. Nec alia nobis ſedet opinio. Sin enim ſucceſſio a domicilii regi legibus nequit, neque nos admittendas has ſtatuimus. Quaeritur autem, quomodo contingat, vt ſucceſſio ſecundum domicilii iura ordinari non poſſit. Atque id tantum accidere arbitramur, quando lex adeſt alieni territorii, vbi bona ſita ſunt, quae alienandi haec et transferendi certum modum ſanxit, ita vt iſta lex non tam poſſeſſoribus, quam bonis ipſis ſcripta ſit, u. c. ne bona huius territorii ad fuſum a lancea transeant. Qua in re totum nobiscum conſpirare putamus Riccivm, dum in perſonae qualitate, quoad teſtamenti condendi facultatem, alieni territorii, vbi bona reprehenduntur immobilia, conſulenda ſuadet praecipitque ſtatuta, numne vt appareat, quae teſtamenti factionem reſtringat ſiue prohibeat, lex adſit *f)*. Quae omnia nos quoque proba-

e) pag. 527.

f) pag. 542. ſq. vbi hunc in modum de hac re exponit: "*Denn wenn das Statutum einem das Befugniß giebt, über eines und das andere zu diſponiren, welches das Ius Commune nicht eingeſtehet; ſo iſt dieſe facultas ſoli perſonae conceſſa cum iure rerum verknüpfet, und die vom ſtatuto gegebene Erlaubniß über die Sachen zu diſponiren,*

probamus, ac in ſucceſſione ab inteſt. obſeruanda concedimus, ex quibus verum quid con-

reu, kan nicht über die anderswo gelegene Güther extendiret werden. Denn der Landes- oder Stadt-Herr, wo die Güther liegen, ſchreibet da der Güther wegen ſelber Geſetze vor, und läſſet ſich durch ein fremdes Statutum keinesweges was vorſchreiben. Atqui hinc de forma actus et diſpoſitionis ius deciditur ex legibus loci vbi fit: de facultate perſonae de rebus, ex legibus loci, vbi res ſitae. Denn wenn die Frage von dem teſtatore iſt, ob er habe teſtiren können: ſo muß man die ſtatuta rei ſitae darum zu Rathe ziehen und die Quaeſtio daraus entſcheiden, quia ius hoc ſtatutum ſancitum non conſiſtit intra perſonam, ſed porrigitur ad bona, et facultatem de iis diſponendi tribuit: quae lex ſtatui nequit de bonis in alieno territorio ſitis. Welches um deſtomehr ſtatt findet, wenn die Verordnung directo de bonis ipſis geſchiehet, u. g. ne teſtamentum fiat de bonis immobilibus: ne praedia minorum ſine decreto cognatorum alienari poſſint; ſo muß man die ſtatuta rei ſitae einzig und allein attendiren, additque: *aber auſſerhalb des Orts, wo ein dergleichen ſtatutum nicht introduciret, fället derſelben valeur weg.* Quod in ſtatutis, bonis ſolummodo ſcriptis, veriſſimum cenſemus; ſin autem ab his receſſeris, ſtatutis domicilii iniuriam intuliſſe hac adiectione putandus eſt aduerſarius. Ideoque nec iure laudat nomothetarum ſapientiam, qui in *Reformationis Norimbergenſis Tit. XXIX.* legem, quam ſubiectis in condendis teſtamentis ſcripſerunt, ipſimet ſunt limitati adiectis verbis: *ſo weit ſich gemeiner Stat gepiet erſtreckt*, dum ciuium de rebus ſuis diſponendi, in alienis terris ſitis, libertatem et dominia coarctant. Nobis legislatorum potius Saxoniae ſaniora et iuris rationi principia videntur proximiora, qui promulgata *Deciſione* LIV. in immobilium ſucceſſione

iura

confici negantes, quo sententiae, quam defendimus, minimi quid detrahatur. Sin enim territorii, vbi bona reprehenduntur, non aderit lex, quae in hisce bonis certum successionis modum, alienandi vel testandi sanciat, successionem etiam in huius bonis territorii e de-

iura loci, vbi sita sunt, obseruanda praecipiente, attamen ciuitatum nonnullis clausulam hanc statutis concesserunt: "*die Güter mögen liegen wo sie wollen*," quam CARPZOV, RICHTER, *de* BERGER, RICCIVS, aliique, peruersae suae insistentes opinioni, superfluam et otiosam taxant; MENKEN contra in cit. Diss. §. XXII. ex ista largissimam principis gratiam apparere arbitratur, nos verum ex iis, quae supra in §. III. dicta sunt, statutorum, quae clausula illa gaudent, in iure quaerendam esse extensionem iudicamus. Attamen nonnulli aduersariorum inprimis RICCIVS noster verbis: "*es wäre dann, daß der ausdrückliche Wille des Landesherrn deswegen vorhanden, daß nehmlich das Statutum quaestionis sich auch auf die ausser dem Weichbild, aber in seinem Land gelegene Güter des Ehemanns erstrecken sollte*" expressas sanctiones admittunt. Cuius rei exemplum inueni apud *Christinaeum* in *Vol.* I. *Dec.* CCLXXXVII. de ciuitate Yprensi affirmantem, frui illam peculiari priuilegio, quo omnia bona ciuis Yprensis, etiam alibi habitantis ac alibi mortui, debent inter heredes diuidi secundum statuta et consuetudines Yprenses; non autem secundum statuta locorum, vbi bona sita sunt, etiamsi in loco situationis bonorum contraria foret consuetudo; dummodo sita sint in comitatu Flandriae. Quod priuilegium concessum dicit, maxime ob id, quod eadem loca, sub eodem principe, qui id concesserat, sita erant. Sed nobis non expressa principis opus videtur voluntate, dum legislatores omnes legibus suis pleniſſimum effectum tribuisse praesumi debent.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0079

defuncti iure, i. e. domicilii statutis definiri tradimus oportere. Neque inueni quemquam inter omnes, qui statuta de successione cauentia ad realia retulerunt, qui contradixerit adstructioni isti, vel contradixisse videatur. Nam vt ad Riccivm redeam, is quidem materiam testamentorum ad iura personarum pertinere negat, concedit tamen liberrimam testandi facultatem et de alieni territorii bonis, cuius statuta istam non restringant. Omnis igitur opinionis ratio, quae in condendis testamentis et in successione ordinanda ab intest. territorii, vbi bona sita, consulenda perhibet statuta, in eo mihi posita videtur, ne alieni territorii leges *prohibitoriae*, *fideicommissariae* &c. *soli bonis scriptae*, negligantur, iisque praeiudicium aliquod inferatur. Verum enim vero a cautione ista, quae certis tantum casibus nititur, neutiquam valere ad regulam conclusionem, quam aduersarius aliique generalem formant: in hereditario definiendo iure in immobilibus succedendi ordinem secundum terrae, cuius partes sunt, leges semper debere ordinari atque dirigi, nemo sanus, argumentis nostris aduersariorumue trutinatis, inficiabitur. Atque habeo mihi persuasum, verbis, in quibus multi haerent, omissis, de re facile inter se conuenire posse dissentientes. Largiamur ideo, neque inuideamus definitiones Pragmaticis de statutis realibus et personalibus, in quorum castris tutos se putant et munitos; at vicissim a nobis haud exigant, vt in harum definitionum copia, maiorem quoad causam no-

noſtram, quam quae ineſt, probandi vim reperiamus, atque opinionem, qua vllo ſine diſcrimine ſucceſſionis leges adnumerantur realibus, pro veritate amplectamur, donec firmiora protulerint argumenta. Nam tutius, vti oſtendimus, et certius aliquid circumſpiciendum eſt indicium, e quo ſucceſſionem ſtatutum inſtruens *real* coniici queat. Etenim, vt relictis omnibus illis ambagibus, e quibus ſemper in eundem locum deſcendendum nobis eſſet, ſummam repetamus aſſertionis noſtrae, iura omnino ſucceſſionum a perſonarum ſtatu regi, ideoque *domicilii ſtatuta, quae de hereditario defuncti iure cauent, ad omnia, niſi ad ea bona extendenda eſſe, quibus alienandis et transferendis certa quae territorii, vbi ſita ſunt, ſcripta lex ſit; atque eiusmodi legem, ſiue ſtatutum tantum reale, extra territorium haud extendendum, domicilii verum legibus in colliſionis caſu quoad ſucceſſionem regundam omnino praeferendum eſſe* ſtatuimus et probauimus.

§. XIII.

Diluuntur e iure romano petitae obiectiones, et primum iis, qui actiones reales in foro rei ſitae ſolummodo tractandas eſſe contendunt, contradicitur.

Respondeamvs nunc aliis, quae opinioni, quam defendimus, obſtare videntur, ac videamus, quae aduerſarii, qui arbitrium quicquid ipſorum tantillum ſtabilit, exoſculantur et tenaciter conſeruant, ita, vt primas et tritiſſimas iuris regulas infringere non

dubitent, obiectiones contra sibi factas ne animaduertunt quidem, aut leuiter eludunt, quorumue rationes absoluta sunt similitudine, opponere soleant ac audeant. Atque primum, quod dicunt, eum, qui in rem agit, non alium quam iudicem, intra cuius iurisdicundi fines sita reperitur, adire debere a), quam verum sit experiamur. Contendunt id scilicet eo, quod LICINIVS RVFINVS b) praecipit: *si autem*, aiens, *per in rem actionem legatum petetur, etiam ibi peti debet, vbi res est.* Sed leuiori adhibito, non interpretandi, legendi tantum studio, corruentem facile videbit quisque applicandi rationem. Nam LICINIVS noster rogatus, quum reus prouocasset ad domicilii forum, actor contra in

a) Inprimis ita statuerunt *Jo.* ZANGER *de exceptionibus Par. II. Cap. I. n. 146. sq. Christ. Phil.* RICHTER in *Decis. XCIX. n. 181.* quorum partes sequuti sunt aduersarii nostri fere omnes.

b) in *L. 38. D. de Judiciis.* in qua explicanda longe commoratus est *Henr. de* COCCEII in cit. Diss. *de fundata in terr. iurisd. Tit. IV. §. 7.* confer. quoque *Gerardus* NOODT qui in *Commentar. ad Digesta. Tit. de Iudiciis et vbi quisque.* recte coniicit, vocem *etiam* in hac lege vim suam habere, quum non frustra fuerit appositа a LICINIO, et verbum *debet* accipit pro *potest*, quomodo vsurpatur in *L. 2. §. 31. D. ne quid in loco publ.* L. 1. pr. D. *de hered. instituend.* L. 9. D. *de auro arg. leg.* et alibi; ita vt sensus sit: legatum per in rem actionem non modo in loco domicilii, sed etiam ibi, vbi est, peti potest. Alio remedio adhuc vtitur HOTTOMANNVS *in Lib. III. Obseruat. Cap. VII.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0082

in loco rei sitae agere mallet, quodnam forum potius habendum esset, rei sitae loci etiam competens aestimari respondit, domicilium excludere certe non opinatus. Ita quoque Impp. VALENTINIANVS, ARCADIVS & THEODOSIVS c), *actorem rei forum, siue in rem siue in personam sit actio, sequi* statuentes, adiectis his, quae sequuntur: *sed et in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutae sunt, iubemus in rem actionem contra possidentem moueri*, in rerum petitione quoad eligendum forum, vti contra aduersarii fingere student, nonnihil neutiquam mutarunt. E coniunctione enim *et*, cui sensum aduersatiuum siue corrigentem non quisquam tribuet d), luculenter apparet, diuersas nimirum subintelligendas esse iurisdictiones, atque tradito ge-

 nera-

c) in *L. vlt. C. vbi in rem actio.*

d) Autumat ZANGER *cit. l.* praeceptum istud generale: actor forum rei sequitur, siue in rem siue in personam sit actio, non ita intelligendum, vt domicilium competens habeatur, sin in rem agitur, sed adeo restringendum, vt intelligatur de foro, quod forum rei est, vel esse potest in omni actione, vt puta, in actione personali forum domicilii, in actione reali forum rei sitae, quod competens forum rei esse ex verbis *sed et* &c. manifestum fieri sibi persuadet, particulam istam non quidem aduersatiue sed explicatiue positam esse, atque quale, et quod sit forum in actione in rem imperatores exposuisse, arbitratus. Sed sane haec, male extorta, nil detrahent explicationi nostrae. Alios in errorem induxit lectio *haloandrina*, quae particulam *et* omisit, vti *Petrum* GRANGIANVM in *Paradoxis iuris ciuilis. Cap. LX.* (Lugd. 1581.) et in OTTONIS *Thes. Tom. V. pag. 633.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0083

neraliori praecepto, actorem semper rei, ideoque domicilii istius forum oportere sequi, ampliationem subtexere legislatores summos et εμφαλικως quasi permittere, imo iubere consulendo *e)*, vt in locis in quibus, propter quas contenditur, sitae sunt, in res actio aduersus possidentem moueatur, ne caussae cognitio atque executio plurium aucupiis iudicum relicta sit, sicque breuitatem suadentes, actoris securitati prospicere et rei commodo. Neque id, quod Impp. VALERIANVS et GALLIENVS *f)* rescripserunt, repugnat sententiae nostrae, imo inseruit, quippe sin *illic, vbi res hereditarias esse proponitur, heredes in possessionem rerum hereditariarum mitti postulandum sit*, nil aliud traditur, quam quod, adnotante GOTHOFREDO, possessorium in loco rei sitae proponatur, petitorium verum in conuenti domicilio, vti docet altera pars legis: *vbi*

e) Confer. *Basilicorum translat. Lib. VII. Tit. V. Cap. 82.* vbi vox *iubemus* hoc loco eandem vim cum verbo *debere L. 4. D. de officio proconf.* et *§. 3. J. de pupill. substit.* recipit, atque consilium siue cautionis praeceptum indicat.

f) in L. vn. C. *vbi de hered. agatur*, quam non obstare sibi credit cit. ZANGER, dum heredit. petitio mixtam caussam habeat, tam in personam quam in rem actio sit; adeoque in vtroque, siue domicilii, siue rei sitae foro ventilari queat. Sin ergo de caussa nostra praesenti forte cadimus, ad hanc ZANGERI exceptionem adhuc confugere possumus. Confer. CVIACIVS *in Obseru. Lib. V. Cap. XIX.* vbi *L. 2. C. de interdictis* ex hac lege explicat, et vtriusque talem esse sensum ostendit, qualem desideramus in re nostra.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0084

vbi autem domicilium habet qui conuenitur, vel si ibi, vbi res hereditariae sitae sunt, degit: hereditatis controuersia erit terminata, quae profecto nobis omnia valde arrident. At nondum despondent animum aduersarii, confugiunt ad pontificium ius, quaeruntque praesidium in *Concilii Africani* canone g): *Sane si episcopi, inter quos causa versatur, sint diuersarum prouinciarum, ille Primas det iudices, in cuius prouincia est locus, de quo contenditur.* Quam verum inde exsculpere volunt consequentiam, eam profecto legis, prout nata est, occasionem coniiciens et attendens, intelligere non possum; quin potius LICINII lege super dicta repetenda hic mihi videantur. Nam quum fundi possessorem coram domicilii et rei sitae iudice conuenerat aliquis, quaesitum fuit, cuiusnam praeferenda esset iurisdictio? et responsum ex huius fauore. Itaque quod volunt, in generali, cui quis subiectus est foro, rebus contra ius actiones intendi, ne fidiculis quidem ex isto canone torqueri posse censeo. Quibus, qualiacunque fuerunt, iam diluitis argumentis, et nostra proferre liceat. Atque vtar, vulgare illud praeceptum, quod domicilii generale, et quoad omnes effectus competens forum nuncupat, multaque alia omittens, VLPIANI tantum auctoritate, qui in *Lib. VI. fideicommissorum* h): *sed et rescriptum esse, vt illic fideicommissum petatur, vbi domicilium heres habet*, confirmat; cui

 assen-

g) Cap. 3. X. *de foro compet.*

h) L. 50. §. fin. D. *de Iudiciis.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0085

assentit PAVLVS *i)* in *Lib. I. ad Edictum*, scribens: *si res mobilis petita sit, vbi restitui debeat, scilicet si praesens non sit? et non malum est, si bonae fidei possessor sit is, cum quo agitur, aut ibi restitui, vbi res sit, aut vbi agitur*; adiicit deinde VLPIANVS *k)*: *nisi si malit petitor suis impensis et periculo ibi, vbi iudicatur, rem restitui.* Relinquunt igitur hi iuris scientia consultissimi petitoris arbitrio, quodnam eligere sibi velit iudicium, atque in domicilii foro etiam de alibi rebus sitis tractari posse, aperte docent *l)*. Verum enim vero, concesso etiam, quod tamen siculneum ostendimus Aduersariorum argumentum, nihilosecius sententia inde parum nostra detrimenti capiet, quia ex in res actionum et hereditatis petitionis foro succedendi sane ordo sumi nequit. Actiones enim reales instituuntur iure quidem in foro, vbi res sitae sunt, sed hoc id circo fit, quod in his actionibus simpliciter in rem agitur contra possessorem qua talem. Ac quando quis partem, aut totam petit hereditatem, non iacens, sed adita iam putanda est hereditas;

i) L. 10. D. *de rei vindicat.*

k) L. 11. *eodem.*

l) v. *L. 2. §. 3. D. de eo quod certo loco.* Intellexerunt hoc etiam et probarunt STRVV in *Syntag. iur. ciu. Exercit. IX. §. 35.* STRYCK in *vsu moderno Pand. Tit. de Iudiciis. §. 35.* SCHILTER in *Pr. iur. ciu. Exercit. XIII. §. 30. et 31.* VINNIVS in *selectarum iuris quaestionum Lib. I. Cap. 18.* COCCEII in *iur. controu. Lib. V. T. 1. Quaest. XI.* LEYSER in *Medit. Spec. LXXII. m. 9.* PVFENDORF in *Tom. I. obs. CXIII.* BERGER in *Oecon. Iuris. Lib. IV. Tit. IV. §. 1. n. 5.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0086

tas; de ſucceſſionis autem ordine controuerſia aditionem omnino praecedit; quare, ſiue agatur contra poſſeſſorem, ſeu eum, qui pro herede ſe gerit in ipſius domicilio, ſiue in rei ſitae iudicio, ſuccedendi iura petitione hac non mutantur, nec defuncti, quibus ſubiectus fuit, legibus vlla iniuria inferri debet, vt dudum e ſupra obſeruatis conſtat, quae repetere nil opus eſt.

§. XIV.

Continuatur dubiorum elenchus.

ALIVM euellamus, qui plerosque mirum in modum ſtimulat atque pungit ſcrupulum: *extra territorium* ſcilicet *ius dicenti impune non pareri. Idem eſſet*, vti tradit ICtus PAVLVS *a)*, *et ſi ſupra iurisdictionem ſuam ius velit dicere.* Dicunt, clamant vno fere ore, nil contra dici poſſe, victoriam paratam eſſe! Quum enim ſtatuta condere iurisdictionis ſit, quumue ibi ſtatutorum diſpoſitio admitti nequeat, vbi ſtatuentium ceſſat iurisdictio, ſtatutis extra territorium nullam, nec de bonis alibi ſitis iudicandi vim eſſe concedendam. Sed multum abeſt, quin argumento hoc, quo Pragmatici vti maxime ſolent, perturber. Etenim primum de ſucceſſione ab inteſt. ordinanda quaeſtionem tanquam extra territorum ſtatutum intelligi, omni nobis videtur iure negandum, quia, vt antea ſatis ſuperque

a) in L. fin. D. *de Iurisdictione.*

euictum est, e defuncti iure et persona solummodo hanc definiendam, et bona plane non respicienda esse, quae tanquam ex accessionis ratione heredem, vti in testamentaria et pactitia facillime successione omnes concedunt, sequi debent, exploratum est et certissimum. At fortasse haec nondum omnem extra dubitationem posita inquient, auctorem proferentes JVSTINIANVM, qui legis rationem Falcidiae ponens, atque de aere ante omnia alieno deducendo, funeris impensis, et huiusmodi aliis solicitus, bonorum considerationem praeprimis inculcasse videatur b). Sed nemo, nisi contra quod manifestum est obdurare voluerit, hoc JVSTINIANI imperatum ad rem neutiquam nostram pertinere, inficias ibit. Imperator nimirum ipse considerandi rationem affert, *ante enim*, aiens, *detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet.* Quis autem est, qui in ordinando hereditario iure, dum heres totam hereditatem, onera et debita quoque recipit, hereditas enim sine dubio, docente POMPONIO c) continet etiam damnosam, plane non norit, aliud requiri iudicium? Et quis est, qui Imperatorem, vt quae remanent Falcidiae rationibus inferri possint, debita deduci iubentem, ius hereditarium bonorum considerationi subiecisse, iudicato contendat? Aut ego talpa coecior sim, aut frustra ad hunc locum prouocant, qui contraria fouent. Interim putant alii, *hereditarium*

b) v. §. 3. *I. de Lege falcidia.*

c) v. L. 119. *de V. S.*

tarium ius esse ius in re, non ad rem, vbi ad personam contrahentem vel delinquentem respiceretur, adeoque in iure succedendi non ad defuncti personam primario, quam ad rem relictam respiciendum, persona enim defuncta (risum teneatis amici!) *non amplius in rerum natura est, post mortem quis desinit esse dominus rerum suarum, cum mors omnia iura soluat, res vero relicta siue sit mobilis, siue immobilis, potest dici sita, adeoque ad statuta rei sitae respiciendum in ipso iure hereditario* d).

His quidpiam reponere nolo, quae miram in hac re legum romanarum scientiam produnt, redeoque ad ea, quae PAVLVS dixit. Vacillare scilicet et eorum opinionem, qui statuta condendi facultatem a iurisdictionis vi deducunt, eiusdem fundamentum in expresso vel tacito superioris consensu quaerentibus statuimus assentientes, ex argumentis in paragrapho IV. prolatis. Vt verum omnem simul disputationem de hac obiectione terminem, iam nostrae summam tradam adstructionis. Largior nimirum cuiuis vulgatae opinionis fautori omnia, quae insistens *Paulianae* sententiae, leges nempe ciuitatum saltem esse particulares, causam finitam non producere effectum infinitum, et huiuscemodi alia obiicit et obiicere poterit;

imo

d) Sunt verba *Traug.* THOMASII, qui in Diss. infra citanda contra *Just. Hen.* BOEHMERVM, quem nobiscum consentientem habemus, ita disputauit, consulto a me apposita, vt ex exemplo discere possis, quonam contra saniora iuris principia differendi vtantur aduersarii methodo.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0089

imo habeat, valeat, vivat cum illa!

Aſt omni iure contendere poſſe mihi videor, quae domicilii ſtatutis ſuccedendi normam tribuit, neglecto bonorum reſpectu ſitus, iuris legem eſſe communis, ita vt vbique locorum in Germania noſtra valeat, niſi expreſſe ſit illi derogatum e). Quae ſic eſt comparata theſis noſtra, vt iis, quae argumentis antea indubitatis probaui, non admiſſis tantum, ſed examinatis et ponderatis, cuiuis ſincero homini et candido telorum extra, quae Pragmatici ex rationum ſuarum pharetra ſumere ſolent, non ſolum iactum ſita videatur, ſed et munita adeo, vt nullam vnquam debellandi ſpem ſupereſſe animaduertat. Nihilominus vt exhibeam quidquid videtur contrarium, et iis ſatisfiat, qui vtuntur hoc, quod idem PAVLVS in *Lib. LIX. ad Edictum* f), ita expreſſit: *Is qui poſſideri iubetur, eo loco iuſſus videtur, cuius cura ad iubentem pertinet;* igiturque putant, in poſſeſſionem eum non iure mittere poſſe hereditatis bonorum, cuius iurisdictioni haec non ſubſunt. Equidem ego contra perſuaſum mihi habeo, hoc ſane non impedire, quo minus iudex, penes quem eſt de hereditate diſtribuenda controuerſiae diiudicatio, ſi eo fuerit peruentum, vt in rerum poſſeſſionem, in aedes, agrum, praedium, ſeu fundum praeſentem immiſſio fieri debeat, iudicem adeat alium, ſeu, vt aiunt, requirat per γραμματα ſcilicet δημοσια g), intra

e) veluti in Saxonia. v. *Deciſionem Saxon. LIV.*

f) v. L. 12. §. 1. *de bonis auct. iudicis poſſid.*

g) v. *Nou. XVII. Cap. 14. et CXXXIV. Cap. 5.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0090

tra cuius iurisdictionis curtem bona inueniuntur sita, ACCVRSIANORVM comprobans doctrinam: *quod alius pronunciauit, alium esse executurum* h). Deinde illis etiam, quibus fortasse iudicii exercendi facultatem in omni caussa e possessionis deducere ratione et situs placet, longe, dicam, aliter sensisse iuris veterum consultorum principem PAPINIANVM, qui in *Lib. I. Responsorum* i), *solam possessionis rationem ciuilibus possessori muneribus iniungendis, citra priuilegium specialiter ciuitati datum, idoneam non esse* docet; ideoque non infelici neque audaci vsus coniectura, haud secus de illorum legum eximium vatem, quorum curae et iudicio bona tantum tradita sunt, iuris possessorum regendi hereditarii potestate statuisse, auidius credere et pignore quouis certare ausim. Ea quidem, quae nisi actu et corpore exerceri possunt, semper modo intra territorii limites et iurisdictionis fieri debere non nego, ne quasi rebus affixa, longius pateant, quam ditionis fines; sed quod ex iure sumi licet, non eget corporis actu, et facile vbiuis locorum vim suam extendit. Qua in re nullus dubito, quin vti queam iure principiis, quae JVSTINIANVS in Constitutione quadam, vbi nonnulla sanxit de praescriptione, exposuit k). *" De rebus nullam differentiam esse, siue in eadem prouincia sint, siue in vicina, vel trans mare positae, vel longo spatio sepa-*

h) v. *Glossam ad L. 15. §. 1. D. de re iudicata.*

i) *L. 17. §. 3. D. ad municipalem.*

k) v. *L. vlt. C. de praescript. longi temp.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0091

separatae, attamen iuri praescriptionis eidem subiici iubet. *Quid num*, ait, *prodest in ipsa prouincia esse possessionem, an in alia: cum ius vindicationis incorporale est, et vbicunque res positae sunt, et dominium earum et vinculum ad dominum vel creditorem possit reuerti? Ideo enim maiores nostri*, adiicit, *subtilissimo animo et diuino quodam motu ad actiones et earum iure peruenerunt, vt incorporales constitutae possint vbicunque ius suum et effectum corporalem extendere*". Alienum quidem huius dispositionis finem esse ab eo, quod in praesenti pugnatur, facile fatemur, sed rationem omnino continet generalem quae contrariis partibus neutiquam fauet. Ponitur iuris principium: omnes res, dum iuri alicui subiiciuntur, etsi in aliena iurisdictione positas, nihilominus huic iuri obnoxias esse. Ac numne, cedite, iuris hereditarii diuersa cogitari possit ratio?

Multae quidem aliae supersunt, quibus munire conantur aduersarii opinionem legibus, sed piget sane, in singulis explicandis eorum deliria, audaciam et errores, quibus quidlibet audendi potestatem sibi sumunt, monstrare; solummodo enim his legibus lectis, nemo, nisi luscinioſus sit, facilius e pumice aquam, quam ex illis, quae nobis aduersentur, exprimi posse, confestim perspiciet. Quarum tamen, vt sincera in re nostra gerenda vtamur ratione, ante oculos tibi ponam, lector beneuole, integram seriem. Euoluas, si lubet, in DIGESTIS: *L.* 20. §. 4. *de acquirenda vel omittenda hereditate. L.* 23. *pr.*

pr. de acquirenda possessione. L. 22. *de adoptionibus. L.* 4. §. 2. *de censibus. L.* 19. §. *vlt. de Iudiciis. L.* 1. §. 2. *de peculio legato. L.* 5. *de rebus eorum qui sub tutela. L.* 5. §. 16. *de Tributoria actione. L.* 27. *de Tutoribus et curatoribus. L.* 242. *de Verb. sign.* in CODICE IVSTIANEO: *L.* 4. *de Iure fisci. L.* 1. *de suspectis tutoribus. L.* 53. *de Decurionibus*, et videas ipse, num quid respondere operae possit pretium haberi. Certe non comprehensas, neque perceptas aduersarios habere hasce leges, sed lubrica et ambigua coniectatione nitentes, atque multa tentando, in veritatem se incidisse arbitratos, facile quisque intelliget.

§. XV.

Respondetur iis, qui alias fouent opiniones. Secundum quasnam leges aestumanda sit legitima portio? deciditur.

HAEC, inquam, communis Doctorum est expositio, vt iam saepius dixi, quam hucusque oppugnauimus, in statutorum collisione circa successionem ab intest. eius semper iura loci praeferenda esse, in quo bona immobilia sita reperiuntur; in mobilibus verum domicilii leges obseruandas: in qua inquirenda et refutanda eo fine paulo longius fum expatiatus, ne in umbratis et incertis, sed bene cognitis veritatem inuestigasse locis videar, ac quoniam, vulgari et grauissima opinione repulsa, facile iis satisfacere potero, qui, quidem

dem illam non admittentes, a noſtra verum etiam diſcedunt defenſa opinione; in quorum ideo expellendis dubiis, poſtquam iam ante potiora delibata ſunt, paucis defungar.

Primum igitur prodeant ii, qui fori rerum ſitarum ſtatutis ſucceſſionem quoque in bonis, quae ſolo non ſunt affixa, ſubiiciendam arbitrantur. Sed parum noui adferunt neque quid in campum producunt, niſi proſtrati reliquias exercitus, quibus fermae validaeue copiae obſtant, iisdem inhaerentes, quae iam infirmata ſunt, argumentis, atque vituperantes ſaltem communem fori vſum, qui, BARTOLO auctore, ibi ſemper ſita praeſumit fingitue mobilia, vbi poſſeſſor domicilium conſtituit *a*), ita vt perſonae et horum iudex ſit, aeque ac actiones et iura ſemper perſonae oſſibus cohaerere et ab ea ſeparari non poſſe ſtatuit. Res autem mobiles etiam ſitas dici poſſe, bonaque omnia in territorio exiſtentia, ideoque et ea, quae moueri poſſunt, ſiue ſe mouent, et ciuium et peregrinorum, imperio et iurisdictioni territorialis domini, ideoque et ſtatutis eiusdem, vt effectus iurisdicendi, ſubeſſe magis probant. Sed reprehenſio iſta modice nos tangit; neque aliter de iſta ac de vulgari opinione iudicamus, quum

a) Qui fori hunc vſum defendunt, u. g. GAIL in *obſeruat. Lib. II. obſ. CXXIV. n. 18.* CARPZOV in *Reſponſ. Lib. VI. Tit. IV. reſp. 38.* HOFACKER in cit. *princip. §. 140.* vtuntur argumento legis 32. D. *de pignoribus.* ſed quo iure non intelligo.

quum in definiendo hereditario iure, non ad locum rei sitae respiciendum, sed successionem in vniuersum ius defuncti, omnesque possessiones secundum istius personae iura, siue domicilii ordinandam esse, demonstratum sit. Neque quod iudex, a quo immissio petitur in bona hereditaria, non secundum sua, sed aliena iudicaturus iura esset, adeo absurdum est, vti visum LEYSERO. Sicuti enim pluribus in causis iudicem, quod alius pronunciauit, exsequi oportet; e. g. secundum testamenti in alieno territorio, iuxtaue peregrina statuta a forensi conditi dispositionem in bona immissionem peragere; ita in caussa nostra in bonis, intra suae iurisdictionis fines prehensis, e domicilii, licet alieni territorii, statutis instruens successionem, et securitatem in bonis heredibus praestans, iudex nec iurisdictionis suae iura negligit, nec dignitatem *b*). Quare quum haec et reliqua omnia horum argumenta, sin animum accurate attenderis, refutata singula, et nostra probatione infirmata, supro suo quoque loco reperies,

b) A quo iudice immissio in hereditatem petenda sit, sub diuersis iurisdictionibus dispersam, ostendit *de* PVFENDORF in *obseru. Tom. III. obs. CLVI.* ac quonam in foro, adita hereditate, conueniendi heredes sint, inprimis communem fori vsum oppugnans, monstrauit *Henr. El. Gottl.* SCHWABE in *Tract. de foro heredum competente. edit. II. Giessae et Lips. 1784. 8.* sed vtramque quaestionem nostra de ordinanda successione praecedit, neque ex illis diiudicari potest, vtpote nonnullos aduersariorum sic sibi persuasisse, ac tela inde parasse animaduertimus.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0095

peries, huius opinionis defensores facessere iubemus.

Illorum autem, (conuertimus enim nos ad eos, quos TIRAQVELLVS conuocauit), qui statuta in rem, siue circa rem disponentia ita discernunt ab in personam conceptis, vt illa et extraneos, haec verum ciues tantum seu subiectos ligent, verbis non, nisi a vulgari de statutis realibus et personalibus doctrina differre mihi videretur opinio, in eaque refutanda, supra de huiusmodi statutis explanata, repetenda iudicarem, nisi ex verbis BARTOLI, rem exemplo illustraturi, atque dispiciendum dictantis, vtrum statutum exprimat: primogenitus auferat duas partes hereditatis, an vero: duae partes auferantur a primogenito, distinctionem istam potius in λογομαχιαν ac in veritate positam esse, cernere promtum esset. Etenim sane nil refert, quomodo statuta verba concinnentur, aut orationis constructio vnde incipiat; minus enim ex ista, quam e legis ratione et mente legislatoris statuti natura, i. e. vtrum in rem, num in personam conceptum, siue reale an personale putandum sit, intelligenda est c).

Quod

c) Imitor hac in re VLPIANVM, qui in *L. 7. §. 8. D. de pactis, vtrum autem*, ait, *in rem, an in personam pactum est, minus ex verbis quam ex mente conuenientium aestimandum est.* Intelligitur etiam, distinctionem illam omnino ad effectus fieri in legibus et edictis praetorum ex *L. 71. §. 7. D. de acquir. heredit.* et *L. 5. §. penult. D. quod vi aut clam.* in testamentis ex *L. 6. D. de seruit-*

Quod verum SALYCETVM attinet, qui triplicem tractauit colliſionem, ei prorſus aſſentiri non dubito, ſi receſſerim ab iſto caſu, vbi e defuncti tacita voluntate, qui alibi habuit domicilium, definiendum voluit, vt in bonis originis conſuetudo originis, domicilii autem leges in domicilii bonis obſeruentur. Nam ſi quis domicilium extra patriam conſtituit, eiusdem legibus ſe ſubiicit, vt originis iura amittat, vndique in iure noſtro probatum eſt d).

In iſto vero ſententiarum diuortio minime omnium ferendi illi ſunt, qui ad locum aditae hereditatis, et ſic, in quo ſit celebratus quaſi contractus, reſpiciendum opinantur. Ne vmbra enim quidem eius adeſt, quo arbitrium ſuum fulcire poſſint. Egregie falluntur. Hereditas enim ſane non poteſt adiri, niſi prout ea defertur.

Neque audiendi, qui loci ſtatuta, vbi quis e vita migrauit, defendunt. Quippe ſin inteſtatus non mutauerat domicilium, ſed forte

ſeruitute leg. in ſtipulationibus ex *L. 133. D. de verbor. obligat.* in pactis ex *L. cit. 7. §. 8.* et *L. 28. §. 2.* et *L. 57. §. 1. D. de pactis*, in conceſſionibus et immunitatibus ex *L. 3. §. 1. D. de cenſibus*, ſed ſane nunquam cum BARTOLO in verbis quaerendam eſſe.

d) v. GAIL *L. II. obſ. XXXVI. n. 6.* STRYCK *vſ. mod. Pandect. Tit. de iudiciis, §. 19.* SCHILTER *vrax. iur. rom. exercit. XIII. §. 22.* WERNHER *obſeru. ſel. P. VIII. obſ. 285.* BERGER *oecon. iur. L. IV. T. IV. §. 1. n. 3.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0097

te regiones peruadens, inopina morte perculsus esset, domicilii legibus successionis dispositio adimi neutiquam potest.

Atque tandem iis, qui, licet defunctus alibi constituerat domicilium, originis statuta inspicienda autumant, ex eo, quod dudum SALYCETO respondimus, facillime satisfit. Et ita quidem sententiam nostram semper vincere, in eaque omnia ita demonstrata ac explorata esse, vt quod obiici mereatur, vix inueniri queat, qui neget, atque nos sine ratione vulgari Pragmaticorum opinioni contradixisse contendat, neminem facile fore arbitror.

Ante vero quam capiti huic finem imponam, principia hucusque tradita ad quaestionem nullius haud sane momenti: *secundum quaenam statuta in collisione aestimanda sit legitima portio?* quando contingit, vt defunctus in alio territorio domicilium habuerit, in alio loco de bonis testatus fuerit, eaque in diversis territoriis sita sint, applicare omnino pretium erit. Discernendum enim est, vtrum legitimae quantitas secundum domicilii, an loci, vbi testamentum conditum fuit, an verum locorum, vbi bona inueniuntur, computanda sit statuta?

Enimuero quum legitima portio extra testamenti causam et defuncti iudicium secundum successionem intestati a lege debeatur,

tur, atque, docente VLPIANO *e*), *ſit pars eius, quod ad eum eſſet peruenturum, cui illa debetur, ſi inteſtatus paterfamilias deceſſiſſet*, neque in illa aeſtumanda teſtamenti conditi loci *f*), neque iuxta ſententiae noſtrae rationes, territorii vbi bona ſita ſunt, ſed ſolummodo domicilii ſtatuta conſulenda, eaque etiam, (non neglectis attamen ſtatutis prohibitoriis) omnibus in cauſſis, quae ſucceſſionis ab inteſt. naturam imitantur, veluti in *Trebellianica*, *Falcidia* &c. computanda, praeferenda ſtatuimus.

CAPVT TERTIVM

OBSERVATIONES QVASDAM AD SINGVLARES QVAE HIC COGITARI POSSVNT COLLISIONIS SPECIES STATVTORVM CIRCA SVCCESSIONEM AB INTESTATO EXHIBENS.

§. XVI.

CASVS PRIMVS: *Secundum quaenam iura ſuccedatur exemtae perſonae disquiritur, eiusdemue famulitio.*

VTI plerumque haud effici poteſt, vt iurium interpretes ſingulos, qui a regula inſtar ex-

F 3

e) *L. 8. §. 6. D. de inoff. teſt.*

f) Ita etiam ſenſit Senatus Virorum illuſtr. in deciſione ſupra (§. I. n. b pag. 4.) relata, e communi fori vſu verum quoad immobilia loci rei ſitae ſtatuta praeferens.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0099

exceptionum euenire ſolent, cautione adhibita et circumſcriptione, caſus proſpiciant; *iura* enim *conſtitui oportet*, vt dixit THEOPHRASTVS a), *in his, quae ἐπὶ τὸ πλεῖστον, id eſt, vt plurimum accidunt, non quae ἐκ παραλογου, id eſt, ex inopinato;* ita non mirandum, ſin eorum, qui de colliſione, quam commentati ſumus, expoſuerunt, ſingulares illius exempla ſiue ſpecies, quas caſus ſolent nominare Pragmatici, alii omnes neglexerunt, alii de nonnullis modo tradiderunt quaedam. Sed vt tractationis vtilitas poſſit animaduerti, quod ad huius plenitudinem faciat, haud quid intactum relinquentes, in capite hocce caſus iſtos, memoratu digniſſimos, vti ſe ſtylo obtulerint, colligamus, quidue de illis ſtatuendum ſit videamus. Inter quos primum referendam duco quaeſtionem: vtrum exemto ſiue priuilegiato, v. c. clerico, e domicilii legibus, an ex iure, quo eſt vſus defunctus, ſuccedatur? Quae quidem in iudicium nonnunquam deducta vehementer exercuit doctorum homina ingenia, et varias et diſcrepantes peperit ſententias. Docent vno fere animo Pontificii et volunt, vt in clerici ſucceſſione in bonis, non loci ſtatuta, vbi vitam degit, ſeu officio ſuo functus eſt, ſed potius iuris diſpoſitiones communis attendantur, ſecundum quas is, a quo redit hereditas, ſtatutis non ſubiectus, ſucceſſionem tacite ordinaſſe videatur, teſtante Cardin. *Jo. Bapt. de* LVCA b). Quibus accedunt inter Proteſtantes:

a) *L. 3. D. de Legibus.*

b) in *Theatri veritatis et iuſtitiae Vol. VI. de ſucceſſio-*

tes: *Jo. Henr. de* BERGER *c)*, *Ge. Ad.* STRVV *d)*, *Just. Henning.* BOEHMER *e)*, *Fr. Es. de* PVFENDORF *f)*, *Joan.* SCHILTER *g)*, *Jo. Ern.* FLOERKE *h)*, *Car. Ferdin.* HOMMEL *i)*; inprimis verum data quaestionem opera hanc expositit et pro horum sententia pugnauit *Achat. Lud. Car.* SCHMID *k)*. Autumant alii, exemto non nisi secundum loci iura, vbi habitauit, succedi posse, qua opinione *Traug.* THOMASIVS *l)* plurimum sibi placuit. Obseruant alii et quidem plurimi inter bona immobilia et mobilia discrimen, neque de in illis successione dubi-

 tant,

cessione ab intestato. Disc. VI. n. 10. sq. Dubitat verum ipse de successione secundum ius commune, quoad casum, quem proposuit, ordinanda, tum quod laici solummodo heredes exstiterint, tum quod bona loci iurisdictioni et laicorum oneribus fuerint obnoxia.

c) in *Oecon. Iuris Lib. II. Tit. IV. §. 46. n. 6.*

d) in *Syntagm. Iur. ciuilis Exercit. XXXVIII. thes. 44. in f.*

e) in *Iur. eccleſiaſt. Proteſtant. Tom. II. Lib. 3. de ſucceſſione ab inteſt. §. XV. et XVI.*

f) in *obſeru. Tom. I. obſ. XXVII.*

g) in *Prax. iur. rom. Diſſ. de iure peregrinorum, §. XLIII.* et in *inſtit. iur. canon. Lib. I. Tit. 18. §. 17.*

h) in *notis ad* SCHILTERI *inſt. iur. can. p. 353.*

i) in *Rhapſod. quaeſt. in foro quotidie obuenient. obſ. CXV.*

k) in *Progr. de ſucceſſione ab inteſt. exemtorum, tam quoad mobilia, quam immobilia, ex iure, quo ipſi vſi fuerunt, ordinanda. Ienae 1755.*

l) in *Probl. iur. can. an clerico ſecundum ſtatuta loci, vbi degit, ſuccedatur? Lipſ. 1736.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0101

tant, propterea quod exemti etiam horum ratione rei sitae fori legibus subiecti sint. Tuentur hanc, quam in praxi receptam esse animaduertimus opinionem, inter alios *Sam.* STRYCK *m*), *Ben.* CARPZOV *n*), *Jo. Nic.* HERT *o*) et *Wolfg. Ad.* LAVTERBACH *p*), quorum nonnulli in mobilibus domicilii iura defendunt, vtpote CARPZOV, et quem presso pede sequi solet *de* WERNHER *q*); dum leges ceteri, quibus priuilegiatus vsus sit, prouinciales siue communes obseruandas docent. Horum in partes modo tunc abire apud se *Christ. Gottl.* RICCIVS *r*) constituit, sin exemtus habitarit in aedibus, magistratus oppidani non subiectis iurisdictioni, et quod, si secus fuerit, succeffio etiam in mobilibus domicilii regi statutis debeat, autumat. Neque horum omnium assentit alicui *Aug. de* LEYSER *s*) domicilii iura praeferens, sin persona exemta in oppido non solum habitarit, sed et ius ciuitatis adquisiuerit, ac mortuo ipso, defendit in bonis eius secundum statuti loci illius succedi. Nos contra PVFENDORFII et SCHMIDII comprobamus

m) in *Tr. de succeff. ab inteft. Diff. I. Cap. IV. §. 4.*

n) in *Iurisprud. eccleſiaſt. Lib. III. Tit. 1. def. 8.*

o) in cit. Diff. *de colliſione legum. Sect. IV. §. 34.*

p) in *Tract. de domicilio. Tubingae 1663. Cap. VIII. §. 58.*

q) in cit. *obſeruat. Tom. I. P. IV. obſ. 142.*

r) in cit. L. *von Statutis.* pag. 489. ſq.

s) in *Medit. ad Pand. Spec. LXXIX. de foro miniſtrorum principis. M. IV.* confer. WERNHER in cit. *obſ.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0102

mus ſuper hac lite iudicium, quod iuris rationi congruens certiſſimis nititur argumentis.

Priusquam vero hanc quaeſtionem paulo altius exploremus, duo nimirum erunt ſecernendi caſus: num perſona exemta, v. c. clericus paruerit in ciuilibus magiſtratus oppidani iurisdictioni, nec ne? Omnis enim expirat diſſenſio, ſin huic fuerit ſubiectus; neque, qui ſtatuta domicilii praehabenda eſſe neget, aliquem fore arbitror *t*). Itidem non opus eſt, quin ineamus cum illis certamen, qui pro inter res mobiles et immobiles diſcrimine pugnant, quibus, vt nobis videtur, ſatis ſuperque ex eo, quod ſupra probatum dedimus, contradictum iam eſt. Neque variationis ſiue abiectae, quam hucusque amplexus ſum, ſententiae notam vereor; imo pulcerrime et perbelle in bonis exemtorum domi-

 cilii

t) Sic in Budiſſae, Camenzae, Loebauiae, Goerlizii, Lauboniae et Zittauiae, principatus ſuperioris Luſatiae ſex vrbibus clerici magiſtratus oppidani iurisdictioni parere coacti. Idem quod obtinet Hamburgi et Norimbergae, vbi deſunt conſiſtoria, nec non Stralſundae, vbi obſequium praeſtare debent iuri Lubecenſi; atque Marchiae leges Brandenburgicae clericis coram patronis forum conſtituunt; vti et in ipſa Regia vrbe Berolinenſi cauſſae illorum ciuiles iurisdictioni quoque ciuili obnoxiae. Confer. Riccivs *von Statutis, pag. 496.* Stryck in *notis* ad Brvnnemanni *iur. eccleſiaſtici* Lib. II. Cap. VIII. §. 30. *Nic. Chriſt. de* Lynker in cit. Diſſ. *de ſtatutis ciuitat. prouincial.* §. XVI. in f. Boehmer in *Iur. eccleſiaſt. Tit. de ſucceſſione ab inteſt.* §. XVI. in f. et *Tit. de Conſtitution.* §. CVIII.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0103

cilii ſtatutorum contemtus traditis principiis cohaeret. Nam pluribus antea, e defuncti perſona et iure ius hereditarium aeſtumandum, ideoque leges, quibus ſubiectus fuit, ſolummodo conſulendas, ac nemine domicilii iuribus obſequium plerumque praeſtare non coacto, haec κατ' ἐξοχην obſeruanda eſſe cenſens, argumentis euici indubitatis, ita vt eorum, quorum in hoc caſu partes tueor, ne acta agam, iam omittere rationes poſſim. Nam ſi certum eſt, prout eſt veriſſimum, ius hereditarium eodem ſemper iure, vel ſtatutario, vel provinciali, ſiue communi determinari, iam vt hoc, non illud, cui exexemtus ſubiectus haud fuit, attendatur, expeditum erit. Ii enim, qui verſantur quidem et degunt in vrbe, ſed magiſtratus poteſtati exemti, e. g. miniſtri principes, conſiliarii, clerici, academici, milites &c. niſi in ciuium numerum referri ſe curauerint, e communi Doctorum conſenſu *u)* in iis omnibus rebus, quae a perſonae qualitate et iure legem accipere debent, ad iura ſtatutaue obſeruanda compelli nunquam poſſunt. Atque quoniam hereditarium ius, vti oſtenſum antea et probatum multis eſt, ſecundum defuncti qualitatem

u) Ita ad exemtorum fauorem reſponderunt ICti Lipsienses, teſte Richtero *de ſucceſſ. ab inteſt. in Prooem. n. 33.* Vitembergenses, docente Bergero, in *Supplementis ad electa disceptat. forenſ. P. I. p. 538.* Helmstadienses, vti de Leyser in *cit. Spec. LXXIX. n. 2. et 3.* memoriae tradidit, ac in *mobilibus*, quae ſecundum illum communem fori vſum perſonae qualitatem ſequuntur, iuxta leges provinciales, ſiue communes ſuccedi concedunt.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0104

tatem aestumari debet, successionis ordinem in illorum bonis solummodo ex iis legibus, quibus vsi sunt, vel prouincialibus, vel communibus sumi posse patet; atque opinionem eorum, qui domicilii vel rei sitae statuta obseruanda esse, perhibent, in isto collisionis statutorum casu facile quoque corruere. Ideoque plurimis eorum, qui a nobis dissentiunt, ac fuse et late tractarunt hoc argumentum, satisfactum iam est, et eorum tantum dilucidanda venit adhuc visio, qui personae exemtae, acquisito iure ciuitatis, in definienda successione nullum prorsus foro effectum tribuunt. Omnis enim cardo rei in eo vertitur, vtrum quis, numero ciuium adscriptus, iuri exemtionis suo renunciasse iudicandus sit. De quo quidem quam qui maxime dubito. Licet etenim aliquis ad certos effectus ius ciuitatis adquisierit, de bonis quoque onera ciuica ferre debeat, nihilominus magistratui oppidano quoad personam, iuraue quae ab istius qualitate dependent, subiectus haberi neutiquam poterit; neque ideo in exemti hereditario iure vrbis statuta quid mutare queunt, nisi bona forte sint feudali vel clientelari nexu adstricta, siue de iisdem testari prohibitum. Placet igitur in isto casu Ordinis Giessensis responsum a celeberr. Kochio v) relatum: ex statutis domicilii non obtinere successionem in clerici bonis, neque quid mouere ius ciuitatis a defuncto acquisitum.

Disqui-

v) *de succeff. ab inteft. pag. 35. fq.*

Disquirendum autem nunc est, num de successione in exemtorum bonis prolata, extendenda quoque sint ad horum liberos famulitiumque. De filiis quidem et uxore, quam diu in exemti subsistant conuictu atque potestate, facile non dubitatur; atque in eis forum, quo ex persona patris et mariti fruuntur, donec mutato forte statu, alio iure se dicarint, perdurare conceditur, et pluribus quoque defendit de PVFENDORF *w)*. Sed varie sentiunt de priuilegiatorum famulis Doctores, horum alii extensionem hanc improbare *x)*, alii defendere opinati *y)*. Nobis verum cuiusue terrae primum inspiciendae leges videntur. Sunt enim statuta, quae forum priuilegiatum famulis quoque concedunt *z)*, sunt quae negant

w) in *Tom. III. obseruat. CXCVII.*

x) BOEHMER in *Iur. eccles. Protest. Tit. de foro competente. §. XLIII. et XLIV.* *Jac. Frid.* LVDOVICI in *Einleitung zum Civil-Proceſs. Cap. V. §. 4.* HELLFELD in *Iurisprud. forens. §. 523.* inique trahens WERNHERVM ad suas partes.

y) *Paul. Jos. a* RIEGGER in *Instit. Iur. ecclesiast. Part. II. §. 535.* *Jo.* BRVNNEMANN in *Iur. eccles. Lib. III. Cap. I. §. 12. in f.* *Jo.* SCHILTER *in Instit. iur. canon. Lib. I. Tit. 10. §. 8.* confer. *Casp. Henr.* HORN in *additamentis ad* SCHILTERI *institut. iur. can. (Vitemb. 1718.)* ad h. l. WERNHER in *obseru.* Tom. I. P. IV. obs. 12. *G. A.* STRVVE in *Diss. de iure domicilii.* Jenae 1650. §. XXVII. in f.

z) Sic in *Corp. Constitut. Brandenb. Culmbac.* Cap. VI. Sect. II. N. 1. et 2. eorum, quibus celsissimi regiminis constituitur forum, iisdem famulitium legibus his verbis subiicitur: "*samt ihren*

gant a). Sed in iis locis, vbi hac in re communi, romano et canonico iuri derogatum non est, omnino eorum qui clericis seruiunt, priuilegia defendunt, praehabenda erit sententia, quippe liquidissima iuris firmatur communis dispositione b). Quare in eorum bonis iure ex istis, quibus cum dominis, quorum, vita dum fungerentur, stipendia meruerunt, vsi sunt legibus, ordinandam esse successionem iudicamus.

Atta-

ihren Weibern, Kindern, Domestiquen und gebrödeten Gesinde, deren nachgelassene Wittben und Pupillen."

a) v. *renouatae ordinationis Guelpherbytan.* Part. I. Cap. XIV. §. 2. et 3. et *Edict.* GEORGII III. Angliae Regis in terris Brunsuicens. elect. 1770. promulg. §. 8.

b) v. *L. 1.* et *2. §. 1. 4. C. de episc. et clericis. Can. 69. C. 12. Q. 2.* Decret. Grat. Totus quidem BOEHMER l. c. in eo est, vt his vim probandi adimat textibus, quod modo de mancipiis, quae in bonis clericorum erant, et eadem immunitate a collectis gaudebant, qua reliqua clericorum bona, minime vero de fori priuilegio disponant, erronee ICtos ab illis ad hanc admittere consequentiam addens. Quod quidem posterius facillime doctissimo viro concedam; sed quod decit, fori immunitatem clericorum hominum ne quidem attingere citatas leges, vndique verum non puto; liquidissimis enim Imper. CONSTANTINVS in cit. L. 2. §. 1. *C. de episc. et cler.* verbis loquitur: "*hominibus eorundem*, (clericorum) *qui operam in mercimoniis habent, diui principis genitoris nostri statuta multimoda obseruatione cauerunt, vt iidem clerici priuilegiis pluribus redundarent.*" et §. 4. eod. ministeriis clericorum eadem satis expresse priuilegia tribuit.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0107

Attamen iuris communis praecepta, in nimio erga clericos fauore fundata, ad aliorum exemtorum, vtpote principis consiliariorum, militum &c. famulitium in territorio, cuius leges de ista re silent, trahi non posse, quin dicam parum abest. Nam sane non intelligitur, qua ratione priuilegia tum illustria seruilis conditionis hominibus competere debeant; neque exemtorum tantam extensionis virtutem inesse priuilegiis perspicitur.

§. XVII.

CASVS SECVNDVS: *Secundum quaenam iura succedatur eo, qui duobus vel pluribus in locis domicilium constituerat, diiudicatur.*

Duobus vel pluribus in locis simul aliquem posse habere domicilium, si in vtrique ita se instruxerit, vt non ideo minus apud alteros se collocasse videatur, et legibus a), et probatur experientia. Huiusmodi reum in

a) *L. 6. §. 2. D. ad municipalem.* Assentit hac in re VLPIANO et CELSO IVLIANVS in L. 27. §. 2. eod. addens tamen difficile hoc esse, perinde plane ac nullum habere domicilium. PAVLVS verum in L. 5. eodem LABEONIS sententiam taxat, quod is, qui pluribus in locis ex aequo negotietur iudicantis, nusquam domicilium habeat; alios autem dicere, pluribus in locis eum incolam esse, aut domicilium habere, quod verius videtur PAVLO. confer. LAVTERBACH in cit. *Tract. de domicilio §. 40. et 41.* MEIER in cit. *Diss. de statutorum conflictu eorumque in exteros valore. Cap. II. §. 11.* STRVBE in *rechtl. Bedenken. Th. II. N. XXV. pag. 86. d. n. A.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0108

in hoc vel illo competenti foro penes actorem esse conueniendi electionem ICti communiter volunt e ratione L. 2. §. 3. et 4. *D. de eo quod certo loco*; colligunt et inde, relinquendum esse tunc heredum arbitrio, secundum cuius domicilii statuta hereditatem petere velint mobiliarem *b)*.

Solide autem et accuratius hanc decidisse quaestionem parentem *c)* persuasum sibi habet *Sam. de* Cocceji, bona immobilia iuxta loci, vbi sita reperiuntur, mobilia, prout in alterutro contineantur domicilio, et nomina secundum vetustioris habitationis loci statuta inter heredes distribuenda censentem; cuius discrimini opponere iam nolo argumenta, ne Aethiopem in aeternum lavem. At nobis quoad in vniuersis bonis ordinandam successionem, cumprimis distinguendum esse videtur, num in vno seu altero domicilio, an alieno decesserit territorio? Placet omnino in casu primo *G. A.* Struvii *d)* eiusdem loci ante omnia attendenda esse jura arbitrantis, haud inconsulta opinio; haec enim morte sua quasi comprobauit et iis-

b) *Jo.* Zanger *de exceptionibus Part. II. Cap. I. n. 95.* Carpzov. in *Resp. Iur. elect. Lib. VI. Tit. IV. Resp. 38. n. 25. de* Berger in *Oecon. Iuris Lib. II. Tit. 4. §. 46. n. 6. et Lib. IV. Tit. 4. §. 1. n. 4. Christ.* Winter in *Diss. de electione fori. Altdorf. 1725. §. 6.*

c) in cit. *Diss. de fundata in territorio et plur. locor. concurr. potestate Tit. VIII. §. 3. 8.*

d) in cit. *Diss. de domicilii iure §. 50.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0109

iisdem voluntatem defunctus declarauit supremam. Sin autem alio in loco mors esset illum consecuta, primum cum CELSO *e)* animi istius existimatione accipiendum esse, quodnam domicilium ante semper habuerit, ita vt maioris partis fortunarum et frequentioris omnino ratio habeatur commorationis, iudicamus; ac contra, sin vtrobique sic sese instruxerit, vt plane potentior coniici nequeat habitatio, quod quidem mihi, vti JVLIANO videtur per raro et difficillime euenire, heredum tunc voluntati electionem fori relinquendam, siue praeventioni, quum pares in iure dicundo existant iudices, locum esse opinamur.

§. XVIII.

CASVS TERTIVS: *De statutorum collisione circa successionem in bonis vagabundi agitur.*

QVIS sit vagabundus? multorum varias proferens expositiones, longe et diffuse exploravit *Christ.* THOMASIVS *a)*, omnem eorum, qui de iis, qui terras vagantur, scripserunt, dissensum e fori confusione originis cum domicilio ortum esse ostendens, ac recurrens denique ad genuinam legem romanarum definitionem quam nobis exhibent ICti JVLIANVS *b)* et VLPIANVS *c)*: *vagabundum personam*

e) L. 27. §. 2. D. ad municipalem.

a) in cit. *Diss. de vagabundo. Cap. II.*

b) L. 27. §. 2. D. ad municipalem.

c) L. 4. §. 5. D. de damno infecto.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0110

sonam esse sine domicilio, seu quae nullam habitationem habet, e. g. quae relicto domicilio navigat, vel iter facit, quaerens quo se conferat, atque vbi constituat, homo ἄνεστιος Graiis, in quem convenit MARTIALIS *d)* illud:

Dic, vbi conueniam: dic, qua te parte requiram?
Quisquis vbique habitat, Maxime, nusquam habitat.

Vt autem probe discernere possis, quisnam vagabundus iure censendus sit, dicam duo nimirum requiri, primum, vt pristinum deseruerit domicilium, habitatione sublata, et accedente derelinquendi animo, per expressam resignationem, seu coniecturas, siue a vagationis continuatione, puto cum THOMASIO decem annorum, siue a rerum venditione in priori domicilio positarum, siue ab interitu domicilii, si v. c. chasmate periit, vel capta est vt Troja, vel passa aratrum vt Chartago *e)*, vrbs quam incoluit, ductas probando; deinde, vt nouum non constituerit, aliud non desiderans, vel adhuc quaerens. Sed retinet nihilominus forum originis, ad quod e communi ICtorum sententia tunc recurrendum est, quoties de domicilio dubitatur *f)*, quoniam huius dubio originis veritas non amittitur

d) Lib. VII. Epigr. LXXIII. ad Maximum.

e) vid. *Glossa* ad cit. *L. 27. §. 2.* perperam verum haec ad forum originis restringens.

f) Testante STRYKIO *de succ. ab intest. Diss. I. Cap. IV. §. 6. in f.* confer. *L. 6. pr. L. 17. §. 10. D. ad municipalem.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0111

titur. Nam insitus est animis omnium patriae amor, ita vt sit fere nemo, qui quamquam hirundinum more avolans, varia iactatus fortuna, locum cum loco facillime commutans, cum *Diomede* regis *Darii* medico, omnes extra natale solum pro aureis compedibus habens felicitates, nisi in illo animum et ingenium relinquat defixum, ac

Ubi jam patriae perventum ad limina sedis
Antiquasque domus —

tunc demum subsistere posse videatur sibi. Ex quo conflatur et efficitur id, quod placuit omnibus, v. c. MEVIO *g*), CARPZOVIO *h*), RICHTERO *i*), STRVVIO *k*), WERNHERO *l*), RICCIO *m*) et HERTIO *n*): vagabundo vt iuxta originis leges, saluo a nobis bonorum vituperato discrimine, succedatur. Sed quando nec de patria constat defuncti incertis sedibus huc et illuc vagati, sedeat nobis STRVVII *o*), quod ab illo mutuauit arbitrium celeberr. KOCH *p*): successionem secundum iura, vbi

g) *ad Ius Lubecense. art. X. n. 27.*

h) in *Lib. VI. Resp. 40.* et *Const. 12. Def. 13. n. 12.*

i) in *Prooem. n. 127. ad Tract. de successione ab intest.*

k) in *Syntagm. iur. ciu. Exerc. L. Thes. 49.*

l) in *obseruat. Tom. I. P. 3. obs. 236. n. 4.*

m) *von Statutis. pag. 466. sq.*

n) in cit. *Diss. de collisione legum Sect. IV. §. 26.*

o) in cit. *Diss. de iure domicilii. §. 50.* et in *Synt. iur. ciu. Exercit. XXXVIII. th. 44.*

p) *de succes. ab intest. §. 15.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0112

vbi deceſſit loci, ordinandam eſſe opinati; idem quod THOMASIVS *q*), ſecundum ſenſum voluit, quem de domicilio tradidit, ne quidem originis forum aſſerens defuncto competere. Et ne cognitioni et perceptioni aſſenſio et approbatio praecurrere videantur, percipe quid ſit, quod horum me in auctoritatem adduxerit. Vagabundus, vt in ore omnium eſt, in quouis loco poteſt conueniri, vbi deprehenditur *r*), cuius legibus intra commorationis tempus ſe ſubieciſſe praeſumendus; ex quo haud iure inuito hisce voluntatem declaratam ipſum voluiſſe colligitur. Sed quum aliquis poterit, cuius ignorantur et domicilium et patria, bona immobilia et mobilia poſſidere, locum, vbi ſita reperiuntur, pro habitatione interdum habendum, ac ſecundum huius ſtatuta ſucceſſionem eſſe definiendam addimus. Quum enim conueniri poſſit, vbi res deprehenduntur, ſecundum ea, quae VLPIANVS *s*) ad huiusmodi illuſtrandum caſum, ex loco, vbi quis negotia ſua gerit, vbi vendit, emit et contrahit, domicilium diiudicari docens, ni fallor, protulit; ſucceſſionis quoque legem ex iſto loco petendam putamus.

q) in *notis ad Andr.* MYLII *Diſput. de iure vagabundorum. Lipſ. 1679. Cap. III. §. 20.* vid. cit. *Diſſ. de vagabundo pag. 73.*

r) v. GAIL in *Lib. I. obſ. I. n. 34.* COLER *de exceptionibus. Part. II. C. I. n. 100. de* BERGER in *Oecon. Iuris Lib. IV. Tit. IV. §. 1. n. 6.* RICCIVS cit. l. HELLFELD in *Iurispr. for. §. 512. f.*

s) *L. 27. D. ad municipalem.* confer. BERGER c. l.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0113

§. XIX.

CASVS QVARTVS: *De collisione statutorum circa coniugum successionem duplex quaestio excitatur.*

PROPERO nunc alium casum, quem successio coniugum praebet. Erexerunt Imperatores VALENTINIANVS, THEODOSIVS et ARCADIVS maritorum mulieres honore, genere nobilitarunt et forum ex illorum persona statuerunt et domicilia mutarunt *a*), ita vt prosperis quaeuis dubiisque socia, in quod per ipsam matrimonii conditionem domicilium transiuit, post mortem viri retineat, neque nisi in casu per sententiam inter vivos contingentis diuortii *b*), siue mortuo coniuge, mutatae habitationis, (*wenn sie den Wittwenstul verrückt*), inuita enim vxor ad defuncti mariti domicilium adstringi nequit, forum hoc declinare possit. Atque inde in vxoris bonis mobilibus et immobilibus, secundum ea, quae in capite antecedenti disputauimus, ex nostra quidem sententia eadem succedendi ratio manet, atque secundum domicilii mariti iura succeditur. Quando verum de successione inter se coniugum agitur, ac ab intestato

a) v. *L. 13. C. de Dignitat.* confer. *L. 22. §. 1. L. 32. 37. §. 2. L. vlt. §. 3. D. ad municipalem. L. 65. D. de Iudiciis.*

b) Vxorem enim quoad vinculum solutam mariti forum amittere, atque deinceps vel in foro originis, vel vbi nouum domicilium constituit, conueniri oportere, apud ICtos nostros, BERGERO l. c. teste, perquam probatum est.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0114

testato successioni seu statutariae, dotali deficienti pacto ex vltimae legibus locus fit voluntatis, duplex sane moueri quaestio poterit. Prima: quaenam potiora habenda sint, si loci statuta vbi bona sita inueniuntur, a iure domicilii coniugum differant? ac altera: num leges loci, vbi matrimonium initum fuit, vtrum istius, vbi e vita decessit coniux, in casu, si domicilium coniuges mutauerant, inspicere debeamus? De vtraque breuiter differendum erit.

§. XX.

Primae quaestionis discussio.

QVOD igitur ad primam quaestionem: *an in casu collisionis statutorum circa successionem inter coniuges, iura potius, quae in domicilio, siue loco contracti matrimonii, vtrum quae in rerum sitarum loco vigent, obseruari debeant* a), attinet, ad diuersa quae circa casum istum in Germania nostra obtinent, respiciendum iura, sicue inter successionem, vel secundum iuris romani, vel legis prouinciae, siue vrbis specialis, seu communionis bonorum aestumandam principia, diuersarum istarum pugna legum orta, distinguendum duco. Videamus de singulis.

a) De quaestione ista iam exposuit *Car. Otto.* RECHENBERGIVS in Progr. *Vtrum coniugis portio statutaria secundum statuta loci, in quo defunctus domicilium habuit, an ad leges territorii, in quo sita sunt bona immobilia, horum intuitu aestimanda sit?* Lipsiae 1740. quod tamen inspicere non contigit.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0115

Quoad ius romanum, vt ex isto iure arcessita, et iam doctrinae nostrae causa firmandae explanata supra omittam, non incongrue in rem praesentem petimus, quod VLPIANVS b) dixit: *exigere mulier dotem debet illic, vbi maritus domicilium habuit, non vbi instrumentum dotale conscriptum est: nec enim id genus contractus est, vt et eum locum spectari oporteat, in quo instrumentum dotis factum est, quam eum, in cuius domicilium et ipsa mulier per conditionem matrimonii erat reditura.* Eximius igitur Iurisconsultus in mariti domicilio contractum a muliere esse, ideoque quae ex contractu et matrimonii conuentione iura vtrimque nascuntur, ex istius domicilii lege definienda intelligit. Quare omnibus in iis terris, quibus quoad successionis nostram speciem iura immutata ciuilia seruantur, domicilii statuta omnino praehabenda sunt. Atque quoniam statuta, quae portionem coniugi superstiti certam assignant, quorum quanta sit in Germania inter se diuersitas? dici, vel fingi vix potest c), iuris romani dispositionem imitentur,

b) *L.* 65. D. *de Iudiciis.*

c) Vt huius rei exempla habeas, qui de successione coniugum statutaria scripserunt, auctores conferas, *Imm.* WEBERVM *de successione superstitis coniugis pauperis.* Giessae 1718. *Joan. Petrum de* LVDEWIG *de differentiis iuris rom. et germ. in successione coniugum.* Halae 1714. *Frid. Wilhel.* PESTELIVM *de successione inter coniuges ab intestato.* Rint. 1745. *Jo. Mar.* SCHNEIDTIVM *de successione coniugum iuxta ius rom. germ. et in specie franconicum.* Wirceburgi 1774. *Carolum Gottl.* KNORRE *de differen-*

tur, ac portionis hodiernae ſtatutariae cum parte illa hereditatis, quam coniugi ius romanum ſuperſtiti tribuit, legislatores hac in re iuris praecepta iſtius ante oculos ſemper habuiſſe, ex conuenientia pateat, non eſt quod VLPIANI illam legem in aeſtimanda portione negligamus; ſed computato omnium bonorum, vbicunque ſita ſint, pretio, de qua domicilii leges defuncti cauent, quantitatem praeſtari coniugi debere, cuique ſane in oculos incurrit.

Neque quaeſtionem illam inter Doctores agitatam: *quonam iure coniux ſuperſtes portionem ſuam accipiat?* probationis noſtrae vim infirmare credimus. Licet enim multi eruditione inſignes, v. c. *S.* STRYCK *d*), *D.* MEVIVS *e*), *Jo. Balth. de* WERNHER *f*), *Mich. Godofr.* WERNHER *g*), *Imm.* WEBER *h*), *E. F. de* PV-

ferentiis iuris marchici et magdeburgici in ſucceſſione coniugum. Halae 1745. *Ant. Franc.* ITZSTEINIVM *de moguntinoſtatutaria coniugum ſucceſſione mutua.* Moguntiae 1786. *Bened.* SCHMIDTIVM *de differentiis iur. natur. rom. german. et bauarici prouinc. maximilianei circa coniugum ſucceſſionem.* Ingolſtadii 1761. et *Joannem Geor.* ADOLPHI *de ſucceſſione coniugum mutua ſ. portione ſtatutaria ex ordin. prouinc. ſolmenſi.* Gieſſae 1770. atque alios.

d) *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. IV. C. 1. §. 26. 27.*

e) *ad Ius Lubec. P. II. tit. 1. Art. VIII. n. 66.*

f) in *obſeru. for. Part. V. obſ. 320.*

g) in *lectiſſimarum commentat. in pandectas P. II. Lib. XXXVIII. Tit. XI. §. 6—8. pag. 1096. ſq.*

h) in cit. Diſſ. *de ſucceſſ. ſuperſt. coni. pauperis. Cap. III. §. 11.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0117

FENDORF i), *Jo. Henr. de* SELCHOW k), et illustr. KOCH l) et HOFACKER m) *ex speciali solummodo legis beneficio* portionem suam coniugem capere facile sibi persuadeant, ita vt nobis, quae hucusque in tradenda doctrina nostra ex iuris indole ciuilis hereditarii sumsimus, minus hic recte adhiberi obiici queat, quum pars illa hereditatis tanquam legis beneficium, quod in orbitatis solamen, et coniugii fidae amicitiae remunerationem, et bonorum et malorum consortium contulisse ad superstitem Germani praesumantur, non nisi secundum matrimonii contractus naturam considerari debeat, atque iuxta VLPIANI sententiam ex domicilii legibus defuncti definiri, impugnatio vlla tamen non timenda venit. Sin autem CARPZOVII n), LEYSERI o), *Car. Ferd.* HOMMELII p), *Jo. Sam. Frid.* BOEHMERI q) et *Aug. Frid. Sigism.* GREENII r), vt

i) in *obseruat. Tom. III. obs. 177. §. 2.*

k) in *Elem. iur. germ. priu. §. 482.*

l) *de succeff. ab inteft. §. 113.*

m) in cit. *princ. Iur. ciu. Tom. I. §. 482.*

n) in *Iurispr. for. P. II. Conft. 32. def. 22.*

o) in *Meditat. ad Pandect. Spec. CCCCXXIV. medit. 7. et Specim. CCCCXXV. medit. 1. §. 2.*

p) in *Rhapf. quaeft. obfer. CCCX.*

q) in *ausführlicher Belehrung, wie und nach welchen Rechten die ftatutarifche Portion der Eheleuthe zu beurtheilen?* in *Hallifchen Anzeigen. d. a. 1749. N. 50. 51. 52.* et in ill. *Aug. Frid.* SCHOTTII *Magazin für Rechtsgelehrte und Geſchichtforſcher T. I. pag. 485. ſq.*

r) in Progr. *an vidua, quae ſtatutariam portionem capit, pro herede mariti habenda ſit?* Lipſ. 1776.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0118

vt alios taceam, qui diui IVSTINIANI *s*), expreſſis verbis heredem coniugem appellantis, inprimis auctoritate vtuntur, ac in Romanorum ſpeciem quotae hodiernam portionem ſtatutariam ita conformatam eſſe, vt illius principia optimo in iſta iure collocentur, contendunt, omnino *ſuperſtiti portionem deberi iure hereditario coniugi*, opinionem elegeris, vt quae ex ſtatutis debetur, ſecundum domicilii defuncti legibus portio aeſtimanda tantum ſit, ſuperius expoſita argumenta efficere intelliges, neque iura locorum, in quibus bona inueniuntur, reſpicienda eſſe.

Videamus autem, quemadmodum in ſucceſſione ex communione bonorum coniugum ſe res habeat? Quamuis enim ab aduerſariorum multis occurratur, ſuperſtiti coniugi eam tantum portionem tribuendam eſſe, quam ſtatuta loci, vbi bona deprehenduntur, determinant *t*), ad vnum tamen fere omnes in domicilio mariti ex ſtatuti auctoritate obtinentis ad quaevis bona, vbicunque ſita ſint, in vniuerſam defuncti hereditatem ſuperſtitis ſucceſſionem extendi volunt. Ita quidem

s) in *Nou. LIII. c. 6. §. 1.*

t) Iſtam Pragmaticorum ſententiam inter alios amplexi ſunt MEVIVS *ad Ius Lubecenſe P. II. t. 2. art. X. n. 40.* CARPZOV in *Reſp. Iur. elect. Lib. VI. R. 39. n. 8.* in *Iurispr. for. P. III. Conſt. 20. def. 19.* Jo. KOEPPEN in *Deciſ. XXXI. n. 11. de* WERNHER in *obſ. Tom. IIII. P. VI. obſ. 288.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0119

dem *Abrahamo à* WESEL *u*), *Jo.* VOETIO *v*), *Nicol.* BVRGVNDO *w*), *W. A.* LAVTERBACHIO *x*), *J. N.* HERTIO *y*), *Jo. Geo. Lud.* BOEHMERO *z*), *D.* MEVIO *a*) et HOFACKERO *b*) aliisue videtur. Hi etenim bonorum communionem indeque oriundum ſuccendi ius in pacto potius quodam tacito, quod extra territorii fines vim ſuam exſerere queat, ac in ſtatuto vel conſuetudine fundatum eſſe, dotali illam pacto tolli poſſe rationem ſubiicientes, contendunt. Vtuntur ſcilicet hac coniectura, quam infringere alioquin nolo, ne contradicere ſibi videantur. Imo eorum ſunt, qui e bonorum communione ſucceſſionem tanquam ius, quod ex mera ſocietate, quae vtroque viuente coniuge in habitu tantum exiſtat, alterutrius verum morte in actum exeat, vimque ſuam oſtendat, oriatur, non rerum, ſed perſonarum iuri, ideoque ſtatuta quibus probatur iſta communio, ad bona quoque in aliis terris protendendis, perſonalibus adnumerent. Neque tamen deſunt,

u) *de connub. bonorum ſocietate et pactis dotalibus.* Amſtel. 1674. rec. Colon. 1720. *Tr. I. n. 110. ſq.*

v) in *Com. ad Tit. D. de ritu nuptiarum. §. 85.*

w) in cit. *Tr. ad conſ. Flandr. Tr. 1. n. 15. ſq.*

x) in Diſſ. *de Societate bonorum coniugali. Cap. II. §. 10.*

y) in *Conſil. et Reſp. T. II. Dec. 753. n. 4.*

z) in Diſſ. *de iuribus* et *obligat. coniugis ſuperſt. ex communione bonorum vniu.* Goett. 1748. §. IX.

a) *ad Ius Lubec. P. II. Tit. 2. Art. 2. n. 83.*

b) in cit. *Princ. Tom. I. §. 143.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0120

sunt, qui praeeunte Riccio c), qui nulli pepercit operae, vt successionem coniugum ex communione bonorum, vulgatae illae a nobis reprehensae sententiae vindicaret, receptissimam hanc Doctorum opinionem reprobare non dubitent. Vtitur autem Riccivs praeprimis his argumentis, neque scilicet coniugum pacto tacito ius successionis inniti, neque consensum tacitum e sola domicilii constitutione coniici debere. Verum enim vero quam grauiter iterum in istis hallucinetur, ostensione vix opus est. Quum enim superstiti coniugi e bonorum communione vniuersali vel omnis defuncti hereditas, siue ex particulari bona quaedam modo obueniant, successionem adesse ne quidem recte et proprie dixeris, sed iure condominii defuncti portionem superstitis portioni coniungi d). Communionis adeo effectus, quam con-

c) *von Statutis. pag. 595. sq.*

d) conf. auctores, quos in *§. V. n. l)* citaui, et quae de Romanorum de hac re principiis tradidi in *§. VI. pag. 34. sq.* Inprimis verum data opera de vero successionis coniugum ex asse fundamento exposuit *Henr. Arn.* Lange in Tract. *von der Gemeinschaft der Güther unter denen teutschen Eheleuthen.* Bareuth 1766. 4. pag. 158. sq. Ceterum non vnam esse in successionis coniugum definienda origine Iurisconsultorum opinionem sane non ignoramus. Nam, vt duos saltem dissentientes appellem, ex antiqua bonorum communione illam ortam defendit de Pvfendorf in cit. *obs. XXVIII. §. 6. Tom. I.* sed improbat negatue de Strvben in *recht. Bedenk. I. Th. B. XLVI.* De qua quidem re multa in vtramque partem disputari possunt; at hic nec locus est, nec vacat.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0121

coniuges, dum de pactis nuptialibus haud cogitarunt, tacite iniisse iure praesumuntur, alienis statutis, nisi sint prohibitoria, mutari nullo modo possunt. Nam sane ab ista statutorum quorundam portione recedendum est, quae quidem vniuersam hereditatem transfert, sed in condominii iure fundata nequit haberi. Atque probe successionem coniugum, quae ex dominio venit, huc collocare dubitassem, nisi e statutorum et Pragmaticorum verbis magis hereditaria quam societatis iura colligi plerumque possent.

§. XXI.

Altera proponitur quaestio.

PROGREDIAMVR ad domicilii mutati casum, ac enodemus quaestionem: *cuius loci iura in definienda successione potiora tunc sint aestumanda?* De qua admodum iterumque variae sunt et inter se dissentiunt ICtorum opiniones. Nam placet multis, tum in successione coniugum e bonorum communione, tum in capienda statutaria portione statuta domicilii, vbi coniux animam efflauit, haud attendi, sed eius loci leges obseruari, quibus dum casti debita tori iura subibant, coniuges se subiecerant, quorum in numero sunt *Jo. à* SANDE *a)*, *Abrah. à* WESEL *b)*, *Jo.*

a) in *Decision. Frisic. Lib. II. Tit. 5. Def. 10.*

b) in cit. *Tract. de connubiali bonorum societate. Tr. I. n. 105. sqq.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0122

Jo. VOET *c*), *S.* STRYCK *d*), *J. N.* HERT *e*), *de* PVFENDORF *f*), *Car. Frid.* ELSAESSER *g*), *Henr. Arn.* LANGE *h*), *Jo. Frid.* GILDEMEISTER *i*), *Car. Chr.* HOFACKER *k*), *Joh. Henr. Chriſt. de* SELCHOW *l*), Fratres OVERBECK *m*) et Viri ill. qui in Boruſſiae regno conſcribendis operam legibus nauant *n*). Sed non pauci

c) in *Comment. ad Dig. Tit. de Ritu nuptiarum. §. 87.*

d) *de ſucceſſione coniugum ſtatutaria Diſſ. IV. c. 3. §. 4.* in EIVSD. *Tr. de ſucc. ab int. pag. 339. ſq.*

e) in cit. *Diſſ. de Colliſ. Legum. Sect. IV. §. 48. pag. 205.* et in *Deciſ. 947. pag. 920.*

f) in *obſ. Tom. II. obſ. CXXI. §. 2.*

g) in *vermiſchten Beyträgen vorzüglich zum Canzleyweſen.* (Erlangen 1783.) *N. IV.*

h) in cit. Tract. *von der Gemeinſchaft der Güter unter teutſch. Ehel. Cap. III. §. 6. pag. 83. ſqq.*

i) in Diſſ. *de communione bonorum inter coniuges legitima mutato domicilio non ſublata.* Duisb. 1777.

k) in *princ. iur. rom. germ. Tom. I. §. 143. in f.*

l) in *neuen Rechtsfällen, enthaltend Gutachten und Entſcheidungen vorzüglich aus dem teutſchen Staats- und Priuatrecht. III. Band.* Frcf. und Mainz 1789. *N. X.*

m) in *Meditationen über verſchiedene Rechtsmaterien. III. Band.* (Hildesh. 1789.) *N. CLXIV. pag. 239. ſqq.*

n) Horum deciſionem expreſſam leges in cit. KLEINII *Annalen der Geſetzgebung VI. Band. pag. 240. ſq.* his verbis: — *daß nach gemeinen Rechten der Nachlaß eines Ehegatten, ſoweit nicht Immobilia dazu gehören, nicht nach den Rechten des Orts, wo der zuerſt Verſtorbene zur Zeit ſeines Ablebens ſein Domicilium gehabt, ſondern nach den Rechten desjenigen, wo der Maritus*

pauci his eruditione et auctoritate insignes obstant: *D.* Mevius *o*), *J. H.* Boehmer *p*), *Ch. G.* Riccius *q*), *D. G.* Struben *r*), *Geo. Lud.* Boehmer *s*), *Frid. Guil.* Tafinger *t*) et *Ern. Christ.* Westphal *u*). Induxit hos in sententiam, qua sibi bonorum communionem, domicilio e loco, vbi hoc viget institutum, in territorium, quod istud ignorat, translato, penitus resciissam esse persuadent, vulgatum illud potissimum: statutum nec vltra iuris-

Maritus zur Zeit der eingeschrittenen Ehe domicilirt hat, zu beurtheilen sey; woraus denn folget: daß wenn an solchem Orte keine Communio bonorum statt findet, ex post aber die Eheleute, es sey durch eine freywillige, oder nicht ganz willkührliche Veränderung ihres Aufenthalts ein Domicilium constituiren, nach dessen Gesetzen dergleichen Gemeinschaft obtinirt, alsdann die Erbsonderung zwischen dem überlebenden Ehegatten und den Erben des zuvor Verstorbenen nach den principiis commun. bonorum nicht anzulegen sey.

o) ad *Ius Lubecense P. II. Tit. 2. art. 12. n. 401.*

p) in Diss. *de aeris alieni inter coniuges hamburgenses communione.* Halae 1728. *§. XVI.* in Eivsdem *Exercit. ad Pandect. Tom. IV. pag. 590. sq.*

q) *von Statutis. pag. 597. sq.*

r) in *rechtl. Bedenken. Th. IV. N. 70.*

s) in cit. Diss. *de Iuribus et obligationibus coniugis superstitis ex communione bonorum vniuersali, praesertim iuxta statuta Hildesiensia.* §. IX. in Eivsdem *Elect. Iuris ciuilis Tom. III.* Goett. 1778. *pag. 13. sqq.*

t) in Diss. *Effectus potiores communionis bonorum constante matrimonio.* Tubing. 1773. §. IX.

u) in *teutschen Privatrecht. I. Th. n. 3.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0124

iurisdictionis, nec temporis fines produci; ideoque coniuges, in aliam emigrantes terram, eademque demum subsistentes, nouis iuribus se dicasse et societatis legi, qua vna et communia omnia erant, abrogasse censendos esse. At parum, me iudice, istâ mouent. Subiiciuntur enim quidem thalami socius et lecti sociata foedere legibus aliis, sed concedi nihilosecius poterit, cui expressi vim tribuunt et leges et fori vsus tacitum consensum, quem omnino verum existimemus necesse est contractum, mutata neutiquam mutari vel rescindi sede, nec vnius citra coniugis voluntatem ius acquisitum inuerti, neque mariti forsan arbitrio vxoris conditionem debere fieri deteriorem v). Aeque non negabitur, domicilio tantum translato, neminem iuri suo renunciasse, ac legem interdum, cuius ratio ita est comparata, vt cuiuis arbitrio, vtrum velit illi obsequium praestare, nec ne, relictum sit, extra territorium videri vim suam efferre. Quod quidem quoniam iis, quos maritale iungit capistrum, etsi noui iura aliter disponant domicilii, vti communione adhuc liceat, verissimum in casu nostro deprehendes; neque, cum omnis coniugum successio, siue ivs illam romanum, siue statuta, portione aliqua definita, transferant, tanquam

e

v) Aliud statuisse videtur *S.* de Cocceii in *Iur. controu. Lib. V. Tit. I. Quaest. 10.* iniquitatem non subesse arbitratus, vxori domicilii mutatione iura auferri dotis aut alia, quia maritus illa non aufert, sed lex, quae vult vxorem sequi mariti domicilium; quas argutias autem parum consultas non nemo iudicabit.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0125

e contractu effectus diiudicari debeat, in iure quoque, de quo extra communionis causam pactum est, quicquam mutari hac ratione posse coniicitur.

Quae cum ita sint, qui nobis contradicat vllum fore non arbitror, quin potius nobiscum consentiat, in successionis coniugum causa semper ad locum esse respiciendum, vbi maritus inniti tempore connubii lares ac fortunarum suarum constituerat sedem, et legibus cuius se subiecit seu subiectum esse voluit. Nam si, connubialia festa celebrans, dubitasset adhuc de constituenda sede, omnino eius loci consulenda sunt statuta, in quo Penates postea collocauit fidos et charos, seu torum conscendit w).

§. XXII.

CASVS QVINTVS: *De plurium fiscorum collisione disseritur, et* CARPZOVII *ac* BOEHMERI *de fisci successione in bonis clericorum dissensus notatur.*

CONTINGERE etiam potest, vt, cum defuncti bona nullum heredem inueniant, et fisco

w) conf. LANGE in cit. Tr. *von der Gemeinschaft der Güter. pag. 86. sqq.* Ceterum parum limitandi vim habet quorundam v. c. CHRISTINAEI in *Vol. IV. Dec. 78. §. 3.* exceptio quaedam prolata: in casu nempe, si mulier non itura esset ad domicilium mariti, sed maritus ad domicilium vxoris, statutum loci originis mariti non attendendum esse, sed ipsius mulieris, quippe maritus, dum vxoris ad aedes transiit, (*wenn er beym Weibe einfärt*, vt Germanorum quaedam statuta loqui solent) nouum constituisse putandus est domicilium.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0126

fiſco cedant, cuinam fiſcorum, in caſu ſi plures concurrunt, vacantia bona obuenire debeant? quaeſtio agitetur a) digna, quae a nobis

a) Quaeſtionem hanc ſtatutis quoque vrbium conuenire poſſe interdum ſtatuimus. Licet enim, quum fiſci ius ſuperioritatis vi territorialis ſoli principi competere certiſſimum et exploratum ſit, neutiquam hoc ius vrbium magiſtratus mediatos (de ciuitatibus enim immediatis facile non dubitatur) exercere poſſe ſibi multi perſuadeant, vtpote STRYCK *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. V. C. I. §. II. ſq.* BERGER in *Oecon. Iur. Lib. I. Tit. II. §. 16. n. 4.* STRVBE in *rechtl. Bed. Th. II. Bed. LXXIV. Chriſt.* THOMASIVS in Diſſ. *de regalibus fiſci principatuum Germaniae circa acquiſitionem.* Halae Magd. 1728. *Cap. I. §. 6. Litt. y. Marc. Chr.* SCHAAF *de iure fiſci ad ciuitates mediatas ſiue municipales non pertinente.* Goett. 1757. nonnullas tamen dicam prouinciarum vrbes ex immemoriali praeſcriptione, priuilegii inſtar beneficio expreſſi, ſeu imperantis indulgentia hoc iure ornatas reperiri, v. *Car. Erdm.* KIRITZ in Diſſ. *de iure fiſci mero imperio haud cohaerente.* Ienae 1722. *Car. Frid.* MENSER *de iure fiſci ad ciuitates municipales pertinente.* Lipſ. 1744. et plura huius rei de ciuitatibus Saxoniae inferioris exempla praebuit de PVFENDORF in *Tom. III. obſ. 14.* Aeque ac *iuris prouincialis Saxonici* Lib. I. Art. XXVIII. et Lib. III. Art. LXXX. (conf. *Aug. Frid.* SCHOTT in *Inſtitut. Iur. Saxon. elect.* edit. Lipſ. 1785. 8. *pag. 319.*) et *Sueuici* Cap. XXX. et XLII. hanc bona capiendi facultatem municipiis conceptis verbis tribuunt. Imo oppida quaedam, iure recepto Lubecenſi, ſed ſuperioritate et priuilegiis deſtituta, eandem temere perperamve affectant, vti egregie demonſtrauit *I. C. H.* DREYER in meditatione germanice ſcripta: *Ob die mit dem Lübiſchen Recht bewidmeten Landſtädte ſich des Rechts,*

nobis discutiatur, nec enim de ista Doctores nostri inter se conueniunt. Nam tribuunt praesertim ii, qui Pragmaticorum nomine veniunt, bona *domicilii* mobilia, *rei sitae* immobilia fisco v. c. *Jo. Ph.* RICHTER *b)*, MEVIVS *c)*, STRYCK *d)*, LAVTERBACH *e)*, et *Nic. Chr.* LYNCKER *f)*, quibuscum haud idem sentiunt *Jo.* VOET *g)*, *de* PVFENDORF *h)* et clar. KOCH *i)*, quemlibet bona fiscum, non animaduersa mouendi natura, quae intra illius exercendi iuris fines deprehenduntur, aufferre opinati. Horum ausim contendere et verissimam dicere opinionem, omnino eorum inhaerens argumentis, qui capientem bona vacantia heredem non existimant fiscum *k)*.

Pro-

Rechts, erbloſe Güter ihrer verſtorbenen Bürger zu ſich zu nehmen, nach dem Art. 14. t. 2. L. II. iur. Lub. zu erfreuen haben. Kiel 1758.

b) de ſucceſſ. ab int. Sect. vlt. n. 43.

c) ad Ius Lubec. P. II. Tit. 2. art. 14.

d) in cit. Diſſ. *§. 47.*

e) in Diſſ. *de iure fiſci. §. XVI. in F.* et in *Coll. theor. pr. Pand. Tom. II. §. 57.*

f) ſiue Reſp. *Rup. Sigism.* HAEBERLIN in Diſſ. *de bonis ereptitiis.* rec. Ienae 1702. *§. VIII.*

g) in *Comm. ad D. Tit. de Scto Tertulliano §. 24.*

h) in *Tom. III. obſ. XIV. §. 22.*

i) de Succ. ab inteſt. §. 120.

k) In ea ſententia ſunt *N.* BYRGVNDVS in cit. Tr. *ad conſuet. Flandr. Tr. XIII. n. 10. de* BERGER in *oec. iur. Lib. II. Tit. IV. §. 46. n. 2. Sebaſt.* SCHELKENS in Diſſ. *de ſucceſſione ab inteſt. Cap. VI.* Appellant alii ſucceſſorem fiſcum uniuerſa-

Proinde sane ad successionis intestatae species hanc occupationem dubitassem vocare, nisi frequens error iam prope in consuetudinem vertisset. Quamquam hoc non ita statuo atque decerno, vt aliquam inter heredem et fiscum simiilitudinem negem, sed qualitatis omnino rationem eiusdem intercedere nullo modo mihi persuadeam. Nam iste neque personae succedit, neque transmissionis iure ad successionem venit, sed vtitur occupatione vel vindicatione, quod inter Quiritium νομοθέτος res quidem est confessa eaque manifesta l). Atque hinc statim li-

 quet,

uersalem absque vlla repraesentatione, vtpote *Fernandez de* RETES in *Lib. III. Excurs. analect. Exc. V.* in OTTONIS *Thes. Tom. V. pag. 1261.*

l) Licet hoc videre e *L. 20. §. 7. D. de hered. petit.* vbi VLPIANVS *vindicari* bona fisco docet. Ac Impp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS idem videntur sensisse, dum in *L. 1. C. de bonis vacant.* intestatorum res, qui sine legitimo herede decesserint, fisci rationibus *vindicandas*, nec ciuitates audiendas, quae sibi earum *vindicandarum* ius veluti ex permissu tribuunt, et iam *occupatas* ad officium reuocandas sanxerunt. confer. *L. 5. eod.* et *L. 5. Codicis Theodosiani de bon. vocant.* Atque, vt pristina iura quoque testes sint, in Lege *Papia Poppea* dicam, quam e Lege *Julia*, forte tempore Iulii Caesaris, frustra rogato populo, iam concepta, ampliatam recenset et nobis GOTHOFREDVS restituit, saepius *occupationem* occurrere, ac ita cautum legi: *Si plus quam ex H. L. licebit relictum erit, caducum esto: populoque vindicator.* Item: *Si velut indigno hereditas legatumue ereptum erit, populo vindicator.* Id forte alii arripuerunt, ac distinctione quadam rem expedire, et sententiam labe-

quet, quam non probandum sit, quod a multis traditur, mobilia quoque, in alieno territorio reperta, domicilii fisco tanquam heredi cedere. Nam quum occupari non possit, nisi quod occupantis subest potestati, tum potentius alii loci ad res ibi deprehensas ius fisci existat, omnemue sane ignoret occupatio bonorum diuersitatem, ex ista neutiquam illud definiendum ita exploratum esse arbitror, vt longior super hac re discussio inutilis valde euadat. Quumque succedendi istud

labefactam erigere conati: an quaeratur de bonis vacantibus et successore omni destitutis, num indigno relictis, vtrum videndum ob delictum ademtis, atque in primo casu omnino legitimum, in secundo loco tantum heredis esse, in tertio autem neutiquam censendum heredem fiscum autumant. v. Stryck in cit. Diss. §. 46. Sed mihi haec vanae fictiones et aegri somnia videntur. Semper bona caduca, siue quae vacant, aerarium recipit, vindicat, aufert, occupat, capit, imo rapit; niti autem nunquam ius dici poterit fundamento successionis ab intest. vti interdum quidem, quae heredibus alias remediis competunt, et nomine, at, me iudice, ἰροπικως et per fictionem quasi, ne subinde odiosa occupantis appellatione veniat et agat. Neque quum successoris obligationibus fiscus satisfacere debeat, heredis ideo qualitatem induit; restituit enim quae sunt alieni iuris et occupari non possunt, quod, vt opinor, dilucide satis ex eo, quod concedunt apparet, ex delicti causa bona capientem actiones omnes et actiuas et passiuas ad fiscum transire per *L. 31. D. de soluto matrim.* et *L. 2. C. ad Legem Iuliam de vi.* Et Lex *Papia Popp.* vt hac iterum vtar, haec habet: *supra dictis tamen casibus omni-*

istud vel occupandi ius fisci neque defuncti qualitatem respiciat, docere omnino par est, exemtorum quoque mobilia et immobilia, quae vacant, bona, vbi deprehenduntur, fisco loci vendicari debere.

Videndum tamen, quid de CARPZOVII et BOEHMERI supra ecclesiae successionem in bonis clerici sine herede decedentis dissensu orto iudicandum sit? Etenim ille *m*) Scabinorum Lipsiensium referens probansque decisionem, defuncti clerici bona mobilia *n*), quae ipsum iuxta illam Pragmaticorum sententiam, a iurisdictione ciuili quoad personam exemtum, sequi soleant, principis fisco, tanquam iudicis episcopalis, per consistoria iurisdictionem assignanda esse exercentis, dum bona vacantia non successionum iure sed

omnibus bona caduca deducto aere alieno, iisdemque conditionibus et oneribus quibus relicta erunt, populo quaeruntor. Intellexit hoc etiam *Petr.* GRANGIANVS in *Paradoxis iuris civ. Cap. VI.* in OTTONIS *Thes. Tom. V. pag. 620.*

m) in *iurispr. eccl. Lib. III. Tit. I. Def. 9. n. 3.*

n) Haec CARPZOVII doctrina ad illud mihi redire videtur, quod *Zeg. Bernh. van* ESPEN in *iuris ecclesiastici vniu. Part. II. Tit. 33. Cap. 8. §. 11.* suppositum olim fuisse refert, suppellectilem aliaue mobilia defuncti clerici ex ecclesiae bonis profecta in dubio credenda esse, hincue ad ius ecclesiae pertinere, ad eamque reuerti debere; vti et ex eo patet, quod ALEXANDER III. in *C. 12. X. de testam.* disposuit: *Licet mobilia per ecclesiam acquisita de iure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint. &c.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0131

iurisdictionis intuitu et fori competentis cedere debeant, immobilia autem, in cuius ditione sita reperiuntur, quippe horum intuitu subditus illius magistratus fuerit, neque ad exemtionem prouocari queat, iudici tribuenda putat. Grauiter verum ab isto o) reprehenditus. Hic enim, nullo herede relicto, clerici bona mortui cui ecclesiae deseruierat, et ciuili p) et iure canonico q) annuente, sine vllo

o) in *Iure eccles. Prot. Tom. II. Lib. 3. Tit. 27. §. 17.* confer. *Jo. Gottl.* BRENDEL in Diss. *de successione ecclesiae in ministri sui bona vacantia.* Jenae 1749.

p) v. *L. 20.* et *Auth. Licentiam. §. item si quis. 1. C. de Episc. et clericis. Nov. CXXXI. Cap. 13. Capitular. addit. 3. Cap. 31. Si quicunque &c.*

q) v. *Can. 7. Caus. 12. Quaest. 5.* quem e concilio Triburiensi desumtum GRATIANVS refert; sed cum ibi non reperiatur, errorem GRATIANI feliciter detexit *Car. Sebast.* BERARD in libro: *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti &c.* (Venet. 1777. 4.) *Part. I. Cap. LIX. pag. 425.* Ceterum hanc iuris ecclesiastici sanctionem ex adductis legibus ciuilibus originem haud ducere recusaueris, cum praeterea, si nihil in vita de rebus suis testationis fecerint, clericis ecclesia e constanti Patrum opinione succedebat, v. *C. 12. quaest. 3. C. 2. C. 1. X. de prebend. C. 1. X. de testam. C. 7. X. eodem. C. 1. X. de succ. ab intest.* atque ita ab intestatis ad omni cognatione et agnatione destitutos consequentiam facile duxerunt. De qua quidem successione in bonis clericorum multa ex antiquitatibus ecclesiasticis ad nostra illustranda petenda essent, sed ne extra oleas vagari videar, conferas velim, quae iam egregie exposuerunt BOEHMER noster in Diss. *de successione in bonis clericorum singulari.* Halae

vllo discrimine tanquam collegio competere, principem nunquam, nec inter Protestantes episcopum habendum, neque secundum communem iuris ecclesiastici interpretum errorem ecclesiam per episcopum repraesentari r), atque e qualitate defuncti ius succedendi aestumandum esse efficiens, more suo deduxit. Verum enim vero quamquam haec ita omnino se habeant, quum bona vacantia occupandi non successionum iuxta, sed territoria-

 lis

lae 1716. *Ludou.* THOMASSINVS *de veteri et nova ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios.* (Lucae 1728. fol.) *Part. III. Lib. II. Cap. 38-49.* et BRENDEL in cit. Diss.

r) Error iste, ut opinor, inde ortus sine dubio, quod episcopi, quibus ecclesiasticarum rerum cura et administratio incubuit, iusque beneficia conferendi, atque intestatorum clericorum bona in ecclesiae distribuendi vsus datum fuit, vid. *Concil. Rotomagense* de anno 1189. et *Synod. Vorcestrensis* de a. 1270. Can. 37. et confer. *van* ESPEN in cit. *Iur. eccl. Tom. I. P. II. Tit. 22. c. 6. §. 5.* nomine se ecclesiae intelligi voluerunt, indeque huiusmodi bona ad suos usus vocarunt. De qua coercenda rapina, cui facile color appingebatur, congregati Patres inprimis in *Concilio Parisiensi V.* cogitarunt, cuius can. 8. haec sanxit: *Comperimus denique cupiditatis instinctu, deficiente Abbate vel Presbytero, vel his, qui per titulos deseruiunt, praesidium quodcunque in mortis tempore dereliquerint, ab Episcopo, vel Archidiacono diripi, et quasi sub augmentum ecclesiae, vel Episcopi in vsum ecclesiae reuocari, et ecclesiam Dei per prauas cupiditates expoliatam relinqui. Statuimus obseruandum, vt neque Episcopus, aut Archidiaconus exinde aliquid auferre praesumat; sed in loco, vbi moriens hoc dereliquerit, perpetualiter debeat manere.*

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0133

lis poteſtatis et iurisdictionis principia aeſtimari ius oporteat, BOEHMERI concluſionem haud iuſto argumento niti potius crediderim. Igitur etſi e ſingulari iuris diſpoſitione eccleſiis, vt et aliis collegiis ius fiſci principis in capiendis clericorum ſuorum bonis conceſſum ac donatum ſit s), tamen ſi ſtatuam, in iis terris, vbi iuris communis fauorem aut lex, aut vſus aliquis coarguit, aut ſtatus reipublicae inutilem fecit, bona clerici vacanti ſemper a fiſco loci, vbi inueniun tu, iure auferri, nullum me piaculum mereri exiſtimo.

s) Iis enim temporibus, quibus magna ſacris, eccleſiis, miniſtrisque reuerentia et auctoritas conſtitit, atque dum principes ſalutem animarum munificentia ſua comporandam ſibi perſuaſerunt, ſaepiſſime eccleſiis iura ſui fiſci donarunt. Ita plerumque Regum Germanorum hanc formulam diplomata habent: "*Quidquid de rebus praefatae eccleſiae fiſcus ſperare poterat, totum nos pro aeterna remuneratione praedictae eccleſiae concedimus.*" Vide ſis chartam LVDOVICI PII apud BALVZIVM in *Tom. II. Capit. Pariſ. 1677. f. pag. 1404.* iura eccleſiae Viennenſis firmantem. Similiter LVDOVICVS GERM. eccleſiam Argentinenſem dotauit, iuxta chart. apud LAGVILLIVM in *hiſtoire d'Alſace. Strasbourg. 1727. f.* p. 21. et Paderbornenſem in charta apud SCHATENIVM in *annalibus Paderborn. Neuhuſ. 1698. f.* pag. 148. Sed, quae non in aeternum, neque perpetuae vtilitatis cauſſa, ſed quas aliqua tempora deſiderarunt, latae ſunt huiusmodi leges, quasue temporibus ipſis mutabiles eſſe animaduertimus, non inique omitti ingenue fateor.

§. XXIII.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0134

§. XXIII.

CASVS SEXTVS: *De retorsione circa ius hereditarium in peregrinorum bonis definiendum contentione agitur, et iuris retorsionis in doctrina nostra principia quaedam traduntur.*

SVPEREST tandem, vt de peregrinorum quoque hereditario ex statutis definiendo iure discernamus. Etiamsi enim et in isto casu vulgaris opinio locum suum velit occupare *a*), facile tamen a supra prolatis argumentis expellitur. Etenim cum peregrinorum odii accusari aetas nostra non possit, quin illis, vt in aliis, ita in successione quoque ἀυλονομιαν, siue secundum domesticas leges viuendi ius relinquat *b*), sane nil habent, quo doctrinam nostram aduersarii infringant. Ideoque relictis illorum, quae iam sunt dilucidata, dubiis, nostram de hoc casu sententiam ita instruimus, vt istius secundum domicili ordinem legum, qui vel iter faciens, vel per aliquod tempus apud nos commoratus, vitam cum inopina morte commutauit, etiamsi bona in nostro inueniantur territorio,

a) v. *Ioan.* SCHILTER in Diss. *de iure peregrinorum.* Ienae 1676. §. XLII. *Petr.* WESENBECCIVM autem quoad mobilia, secundum mortis loci distribuenda leges, a communi aberrasse tramite animaduertit.

b) v. SCHILTER in cit. Diss. *§. XLI.* et confer. *Frid. Wilh.* PESTEL in Diss. *de iustitia et benignitate legum germanicarum erga peregrinos examinata.* Rint. 1754.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0135

obuenire extraneis, vel ciuibus noſtris peregrini heredibus tradi oporteat, niſi plerumque quod ſecundum communem ſtatutorum ſanctionem, antequam hereditas in aliud territorium deportetur, pars aliqua retineatur, et fiſco principis inferatur, aut legi forte alicui prohibitoriae, ſeu retorſionis iuri potius indulgendum ſit; de quo quidem pauca recte collocando adhuc delibare hic iuuat.

Quum enim multi, qui ad iſtius vim poteſtatemue prouocant, in hoc obſeruando doctrinam noſtram vſum ſuum amittere facile ſibi perſuadeant, ſcrupulus demum eximendus venit. Non dicam, quod alii tradunt, ius retorquendi maxime iniquum eſſe c), nec iis aſſentio, qui cum OLDENDORPIO diuinam agendi formulam appellant, tantam potius vim ipſi tribuendam puto, quantam iuris iuxta gentium principia, vel legum ſanctionem d) in ſucceſſionum cauſſa vindicare ſibi poterit. Nam retorſione omnino ita definita, vt facultas, qua iniquum vel moleſtum ius ali-

c) v. *Dan. Frid.* HOHEISELIVM in Diſſ. *de edicti praetorii, quod quisque iuris in alterum &c. iniquitate et non vſu, tam antiquo quam hodierno.* Halae 1724. et *de retorſione iurium ſtatutariorum variantium nec aequa, nec prudente.* Halae 1725.

d) Quae circa Geradam et Heergewettam inprimis de retorſione cauent, vide ſis exempla ſtatutorum apud RICCIVM c. l. L. II. Cap. 19. §. 3. et *Chr. Jac.* SCHMIDMERVM in *Specimine ſiſt. obſeruationes miſcellas de retorſione iuris.* Altorfii 1787. §. IX.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0136

alicuius territorii contra eiusdem incolas in alia terra in cauſſis ciuilibus publica auctoritate aequitatis et conſeruandae aequalitatis cauſſa applicatur *e*), ſubintelligi debeat, primum diligenter explorandum ſtatuo, num cur illa experiamur ratio adſit. Quod ſi, vt debes, religioſe feceris, non adeo frequens retorquendi te ſtudium trahet, ſin praeterea et animaduertere velis, cum retorſio, non niſi accedente principis conſenſu, aut generali ſanctione, vel in caſu obueniente dato, exerceri queat, iudices quippe, ſeu municipales magiſtratus, ſecundum aliena iura iudicaturi, nouam ſane legem ſtatuerent *f*), in ſucceſſionum

e) Clariſſ. quidem *Car. Frid.* ELSAESSER in egregia Diſſ. *de iurium ſtatutariorum variantium retorſione etiam tunc fundata, ſi actus ſecundum illa exercitus non praeceſſerit.* Erlangae 1775. §. II. non ius iniquum ſed diuerſum ſaltem retorſionem docet ſupponere. Sed quum Vir doctiſſ. in §. XVIII. fine ipſe his fere verbis concedat, ſin alterius ciuitatis ſtatutum noſtris ciuibus plane non ſit damnoſum, nec rempublicam quid detrimenti hinc capturam eſſe, manifeſte apparuerit, retorquendi rationem nullam eſſe, definitionem ſuam, a SCHAVMBVRGO mutuatam, definiti fines egredi putamus. Nonnullum enim ſtatutum, nobis iniquum, moleſtum, ſeu damnoſum ſane ſemper a iure noſtro diuerſum eſt. Omne tamen diuerſum quoque damnoſum haberi nequit. Atque ab retorſionis fundamento, in aequalitate et aequitate conſeruanda poſito, ſola diuerſitas ſane non ſuſtentatur. Confer. HOFACKER in cit. *princ. T. I. §. 146.*

f) v. STRYK in *vſu moderno ad pand. Tit. quod quisque iuris &c. §. V.* ELSAESSER in cit. Diſſ.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0137

num quoque cauſſis, extranei vel peregrini domicilii legibus retorſione variandis aut tollendis, principem potius in omnibus bonis vbicunque ſitis ſingularem ſuccedendi ordinem obſeruari voluiſſe credendum, atque ideo retorſione abſtinendum eſſe. Inprimis autem praecipere nobis licebit, dum effectus damnaque retorſionis intuemur, qua priuatorum iura incerta et mutilata efficiuntur, controverſiis et difficultatibus oriundis finem quam feliciſſimum et paratiſſimum imponere. Mutuis puto vtendum eſſe transactionibus et conuentionibus, litteris datis, vt aiunt, reuerſalibus, ita vt hiſce quae retorſionis vſu contra ius iniquum ſeu moleſtum reſtituenda ſit, aequitas et aequalitas conſeruetur. Et quid eſt, quod me impediat, quae ad deſtruendam noſtram doctrinam parantur, vitare et improbare, eaque ſequi, quae omnibus licet non placeant, in vſu tamen ſunt, vel eſſe debent? Quare hoc quidem praeceptum, quod in multis ſtatutis obſeruatur g), et faciendum immitandumque eſt omnibus, ad tollendum dubium contra ſententiam noſtram

Diſſ. §. V. Schmidmer in cit. Diſſ. §. VII. et Hofacker in *princ. Tom. I. §. 147.*

g) Ita ſtatut. vrbis *Magdeburgicae Part. III. §. 3.* cauet: "*So ein Fremder hier Erbe fordern will, ſoll es mit deme gehalten werden, wie es des Ortes, da der Fremde wohnet, gebräuchlich iſt, iedoch daß uns auch der Fremde genugſam Revers und Verſicherung von ſeiner Obrigkeit bringe, daß uf zutragende Fälle hinwiederum gegen die Unſere dergleichen Abfolgung geſchehen ſoll.*" vt de aliis taceam.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0138

noſtram valet, atque hanc in iſto caſu, vti vbique grauem, conſtantem, ſtabilem ſe praeſtare monſtrat, ita, vt fiat verum illud, quod ſaepius dixi, e domicilii legibus ſuccedendi ordinem ſumere et iuris, et aequitatis rationem probare.

Haec fere ſunt, quae ἀυλοσχεδιως a nobis obſeruata, rudioribus non ingrata fore exiſtimamus. Alii quidem praeterea examinandi caſtigandique caſus ſuperſunt, ſed qui facile e doctrina de domicilio, quam a multis tractatam et explanatam habemus, diiudicari queant, conſulto a me praetermiſſi, quosue ſecundum in libello noſtro tradita haud difficulter principia compones.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0139

Mendae et additiones quaedam.

In Conſp. §. XIII. lin. vlt. add. *contradicitur.*

Pag. 2. not. b) lin. 3. lege: *Lib. VI.*

— 4. not. b) lin. 1. lege: *deciſionem.*

— 35. not. e) lin. penult. lege: ἐμπροσθεν

Hic addenda fuiſſet commentatio *de fundamento ſucceſſionis ab inteſtato ex hiſtoria eius deducto auctore Jo. Jac.* Boger. Tubingae 1791. vbi in §. 49. legum ſucceſſionis fundamentum vel in condominio, vel amore praeſumto, ſiue in vtroque mixto inueniri, omnium commune autem inprimis quaerendum in praeſumta defuncti voluntate traditur.

— 60. lin. 25. lege: *obeundis.*

— — not. a) lin. 1. lege: certum.

— 62. lin. 26. lege: ordinandum.

— 94. lin. 7. lege: tam.

— 116. lin. 1. pro quam lege: quod.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0140

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0142

e tota conjuratione factum esse
um GUNDLINGIO l. l. *c.* 1 §. 12.,
tribuere, *Fulviae detectionem*
effecisse. Constitutionem de ser-
uti modo vidimus, ad hanc le-
CIUS; GUNDLINGIUS etiam l. l.
testimonia admisisse SULLAM, ex
t, quod idem servis permiserat
e dominos: unde vix dubitandum,
ncipiis id, quod est minus, datum
ciosa herorum in rempublicam con-
Add. *l* 7. §. 2. *ff. ad leg Jul.*
lem argumentum non plane est ne-
is ceteroquin ex iis, quae SULLA
jusserit, aut permiserit, non sa-
posset ad earum legum sententiam,
a ira victoriae tulit (4). Illius
d ad hanc legem referunt GUND-
4. et HEINECCIUS l. l. ex AM-
o, *ut in hoc crimine a quaestio-*
la dignitas seu fortuna eximere-
probabilis reddi potest; quum
liorum fortunas et dignitatem cu-
bi de sua securitate suisque com-
Non levibus tamen argumentis
ves Romanos hac lege SULLAE
egat BEAUFORTUS, *Rep. Rom.*
et 70.

caput ad hanc legem retulit SI-
GO-

UFORT, *Rep. Rom.* L. V. c. 4. p. 69.

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863209785/phys_0143